AN. LXXIX SERIES VII FASC. IV AN. 1954

MONITOR ECCLESIASTICUS

Fundatus a. 1876 ab E.mo Card. Casimiro GENNARI
peculiari S. Sedis adprobatione continuatur

MODERANTIBUS

ARCADIO LARRAONA
Secretario S. C. De Religiosis

FLORENTIO ROMITA
A Studiis S. C. Concili

ADIUVANTIBUS

ANTONELLI F., O. F. M., Relator. Gener. Sect. Hist. S. C. Rituum — BARTOCCETTI V., Subsecr. S. C. De Disciplina Sacramentorum — BENDER L., O. P., in Pont. Athenaeo *Angelicum* Professore Juris Canonici — BIDAGOR R., S. J., Cons. S. C. De Disciplina Sacramentorum — CAPPELLO F. M., S. J., Cons. S. C. Concilii — CASTELLANO M., Ep. Volateranno — DE ANGELIS S., Substit. S. Paenitentiariae Apostolicae — GUTIERREZ A., A Studiis S. C. De Religiosis — HERMAN Ae. S. J., Cons. S. C. Pro Ecclesia Orientali — LENTI PROF. J., Adv. S. Romanae Rotae — MAURO A., Add. Secr. Status — OESTERLE G., O. S. B., Cons. S. C. Pro Ecclesia Orientali — PAVENTI X., A Studiis S. C. De Propaganda Fide — ROMANI S., Subpromot. Fidei S. C. Rituum — ROMEO A., A Studiis S. C. De Semin. et Univers. Stud. — ZERBA C., Subsecr. S. C. De Disciplina Sacramentorum

Aliisque S. Romanae Curiae Officialibus, Consultoribus et Advocatis.

DESCLÉE & C[i] — EDITORES PONTIFICII

ROMAE (117) PIAZZA GRAZIOLI N. 4 — TEL. 64.395 — C. C. P. 1-4270

OFFICIUM REDACTIONIS ET ADMINISTRATIONIS - PIAZZA GRAZIOLI N, 4. TEL. 63.931

Periodico Trimestrale - *Sped. in Abb. Post.* - Gruppo IV

IMPRIMATUR

Sorae, 15 - XII - 1954.

† BLASIUS MUSTO
Episcopus Aquini, Sorae et Pontiscurvi

OMNIA IURA PROPRIETATIS VINDICABUNTUR

TIPOGRAFIA EDITRICE M. PISANI - ISOLA DEL LIRI

SUMMARIUM

ADNOTATIONES IN ACTA S. SEDIS

S. S. Congreg. S. Officii.

DECRETUM: proscriptio libri: NIKO KAZANTZAKIS: *Ὁ τελευταῖος πειρασμός* - *Die Letze Versuchung* (Feria IV, die 16 Decembris 1953). (Adn. C. M.). . . . . Pag. 567

Sacra Congregatio Consistorialis.

Normae et facultates pro Sacerdotibus in spiritualem maritimorum curam incumbentibus nempe pro Cappellanis et directorum operis « Apostolatus maris » iussu Sanctissimi Domini Nostri Pii Divina Providentia Papae Duodecimi editae. . . . » 568

Normae et facultates pro sacerdotibus in spiritualem navigantium curam incumbentibus nempe pro Cappellanis navigantium et Cappellanorum directoribus iussu Sanctissimi Domini Nostri Pii Divina Providentia Papae Duodecimi editae. . . . » 573

JURISPRUDENTIA SACRAE ROMANAE ROTAE

Sacra Romana Rota.

Coram R. P. D. DINO STAFFA, Ponente. CLEVELANDEN. Nullitatis Matrimonii. Sententia definitiva: in jure. (die 9 aprilis a. 1954). » 579

Coram R. P. D. PETRO MATTIOLI, Ponente. SALERNITANA. Nullitatis Matrimonii. Incidentis de appellatione. (die I Martii a. 1950) . » 580

Coram R. P. D. PERICLE FELICI, Ponente. Separationis: incidentis: de alimentis. (die 9 februarii a. 1954) . . . . . » 583

Coram R. P. D. PERICLE FELICI, Ponente. Nullitatis matrimonii: in jure. (die 6 martii a. 1954) . . . . . » 535

STUDIA ET CONSULTATIONES

ROMITA, F. Parrocchia, Chiesa parrocchiale e Beneficio parrocchiale come distinte persone morali *ex ipso juris praescripto* nel diritto canonico e civile italiano . . . . . » 593

BENDER, L. Potestas dispensandi superiorum territorialium et peregrini . . . . . » 615

STAFFA, D. De condicione potestativa in contractu matrimoniali . » 647

JUS ECCLESIASTICUM

Italia.

LENTI, G. Ancora in tema di esecutorietà in Italia delle sentenze Sanmarinesi di annullamento di matrimonio . . . . » 657

RECENSIONES

VERMEERSCH, A. - CREUSEN, I. *Epitome Iuris Canonici cum commentariis.* (CANZONERI, E.) . . . . . Pag. 665
EICHMANN, E. *Kirchenrecht.* Band III. *Prozess- und Strafrecht, 7.* (OESTERLE, G.). . . . . » 665
PLOCHL, W. *Geschichte des Kirchenrechts.* (OESTERLE, G.) . . » 669
HERING, Hya. *De fecundatione artificiali.* (CANZONERI, E.). . . » 675
SHEEHY, R. *The Sacred Congregation of the Sacraments; its competence in the Roman Curia.* (E. J. P.) . . . . . » 677
KUBIK, S. *Invalidity of Dispensations according to Canon 84 § 1.* (E. J. P.) . . . . . » 678
GUTIERREZ, E. M. *El Nuevo Concordato Espanol.* (DEL CORRAL, J. M. F.) . . . . . » 681
BUONTEMPO, A. *Problemi di Diritto Ecclesiastico Maltese.* (***) . » 682
MERTENS, C. *Iniziazione alla Economia Sociale.* (JARLOT, G.) . . » 685

DOCUMENTA

Pii. PP. XII. ALLOCUTIONES: E.mis PP. DD. Cardinalibus atque Exc.mis PP. DD. Sacrorum Antistitibus, qui Romae sollemni Canonizationi Pii Pp. X interfuerunt . . . . . » 687
— Christifidelibus Delgatis e Congregationibus Marianis, Romae coadunatis ob Conventum ex universa earundum Foederatione indictum. . . . . » 700
— Il Sommo Pontefice ai partecipanti alla assemblea della « Commission internationale de la Police Criminelle » . . . » 703
— Il Sommo Pontefice ai partecipanti alla VIII assemblea dell'Associazione medica mondiale . . . . . » 710

CHRONICA

Acta Pii PP. XII. - Acta SS. Congregationum. (MAURO, A.) . . » 721
Index Generalis Vol. XXIX (1954).
Index Bibliographicus.

ADNOTATIONES
IN
ACTA SANCTAE SEDIS

Digitized by the Internet Archive
in 2024

https://archive.org/details/monitor-ecclesiasticus_1954_79_4

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SUPREMA SACRA CONGREGATIO S. OFFICII

DECRETUM

PROSCRIPTIO LIBRI

Feria IV, die 16 Decembris 1953

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii, Emi ac R.mi Domini Cardinales rebus fidei et morum tutandis praepositi, praehabito RR. DD. Consultorum voto, damnarunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserendum mandarunt librum qui inscribitur:

Niko Kazantzakis — *Ὁ τελευταῖος πειρασμός* — *Die Letzte Versuchung*, Roman, Berlin-Grunewald, F. A. Herbig Verlagsbuchhandlung (Walter Kahnert).

Et feria VI, die 1 Ianuarii 1954, Ss.mus D. N. D. Pius Divina Providentia Pp. XII, in audientia E.mo Card. Pro-Secretario Sancti Officii concessa, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem adprobavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 12 Ianuarii 1954.

Marius Crovini, *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius*

(*A.A.S.*, vol. 46, pag. 223).

ADNOTATIONES

Auctor, e Graecia ortus (Cretensis) nunc plerumque in Germania vivit. Alias romanenses fabulas publici iuris fecit, quae etsi ob stylum letterarium excellent, ad principia Nietzschiana vel, aliquoties, ad communismum inclinant.

Liber, de quo agitur, magis notus est in translationem germanicam, quam in lingua originali Graeca (titulus latine vertitur: « novissima tentatio »). Est quaedam vita Iesu, fabulosa, immoralis ac plena blasphemiis.

Quamquam Niko Kazantzakis sit acatholicus, eius opus in Indicem librorum prohibitorum nominatim damnatum est, quia inter catholicos quandam diffusionem habebat.

Niko Kazantkakis etiam translationem confecit in linguam graecam vitae S. Francisci Assisiensi, cuius auctor est Joergensen.

C. M.

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I°

NORMAE ET FACULTATES

PRO SACERDOTIBUS IN SPIRITUALEM MARITIMORUM CURAM INCUMBENTIBUS NEMPE PRO CAPPELLANIS ET DIRECTORUM OPERIS « APOSTOLATUS MARIS » IUSSU SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PII DIVINA PROVIDENTIA PAPAE DUODECIMI EDITAE.

I

1. Pius Pp. XI, f. r., « Opus Apostolatus Maris, ad spirituale, morale ac sociale maritimorum commodum primo in urbe Glasguensi in finibus Scotorum anno MCMXX constitutum, suae benevolentiae testimonio cohonestare et Apostolicae Sedis adprobatione, die XVII Aprilis a. MCMXXII, ditare voluit; quod Opus, quum haud paucis celebratis conventibus et accedente Ordinariorum suffragio longe lateque iam pateret, ut Sacrae Congregationis Consistorialis moderamine frui ac potiri in posterum valeret, Nosmetipsi die XXX Maii a. MCMXLII libenter decrevimus » (Const. Ap. *Exsul Familia*, Tit, pr., *A. A. S.*, XLIV, p. 674).

2. « Apud eandem Sacram Consistorialem Congregationem institutum volumus alterum coetum, seu Secretariatum Generalem Internationalem, ad moderandum Opus Apostolatus maris, cuius est potissimum sive spirituale sive morale commodum fovere maritimorum, eorum nempe qui gubernandi aut inserviendi gratia naves conscendant, vel portibus addicantur maritima itinera adparaturi.

Huius Secretariatus moderamen, uti praeses, geret Adsessor Sacrae Consistorialis Congregationis, Delegatus vero ad opera de emigratione secretarii munere fungetur.

In Secretariatum autem cooptari poterunt:

1° Viri illi ecclesiastici qui in unaquaque dicione seu natione Directores huiusmodi operis ab Episcopis eliguntur;

2° Ceteri sacerdotes, qui, de eodem opere provehendo bene meriti, digno laudis testimonio sint cohonestandi ». (Ibidem, Tit. alt., art. 8 § 1, § 2, § 3: *A. A. S.*, XLIV, p. 695, s.).

II

3. Legitime assumpti in officium Cappellani vel Directoris — pro unaquaque Dicione seu Natione — Operis Apostolatus maris censentur scaerdotes, qui ab Ordinariis praesentati, a Sacra Congregatione Consistoriali, peculiari obtento Rescripto, adprobati et nominati sunt.

4. Sacerdotibus in officium vel Cappellani vel Directoris Operis Apostolatus maris legitime assumptis eadem valent, congrua congruis referendo, quae de Cappellanis navigantium eorumque Directoribus praecipiuntur in Constitutione Apostolica *Exsul Familia* Tit. alt., capite III.

5. In sacris peragendis et in divino Officio recitando, itinere maritimo perdurante, Sacerdotes in navi versantes uti possunt kalendario Ecclesiae Universalis.

6. In Canone Missae, itinere maritimo perdurante, exprimitur nomen Papae, reticita cuiuslibet Antistitis memoria.

7. Cappellani Apostolatus maris tenentur quoque obligatione conficiendi baptizatorum, confirmatorum et mortuorum libros, eosque Directori tradendi in archivo custodiendos.

8. De huiusmodi libris custodiendis et de authentico eorundem exemplari ad Curiam transmittendo, S. C. Consistorialis statuit:

1° ut authenticum exemplar librorum baptizatorum, confirmatorum et mortuorum a cappellanis Apostolatus maris conscriptorum, ad Curiam transmittatur dioecesis in qua Directoris officium est constitutum;

2° ut unius Directoris sit huiusmodi exemplaria a se exarata ad Curiam transmittere;

3° ut eiusdem Directoris sit de numero eorum, qui a Cappellanis Apostolatus Maris confirmati sunt, vigore facultatis de qua infra sub n. 9, 1°, et de ratione ab iisdem tanquam ministris extraordinariis in munere perfungendo adhibita, quolibet anno, sub initio anni proximi insequentis, ad Sacram Congregationem Consistorialem et ad Ordinarium memoratae dioecesis mittere relationem;

4° ut adamussim servatis hac de re sacrorum canonum normis, de actis in libris conscriptis quamprimum etiam parochus domicilii eorum de quibus in libris agitur a Directore certior fiat;

5° ut Director nationalis suo utatur sigillo, habeatque tabularium seu archivum in quo memorati libri custodiantur una cum Sa-

crae Congregationis Consistorialis et Episcoporum epistolis aliisque documentis, necessitatis vel utilitatis causa, servandis.

6° ut unius Directoris sit litteras testimoniales, iis quorum interest, dare.

III

9. Cappellanis Operis Apostolatus maris eiusdemque Directoribus de quibus supra n. 3, haec, quae infra recensentur, facultates seu privilegia *durante munere* tribuuntur.

1° Facultas administrandi, ad normam Decreti Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum *Spiritus Sancti munere* (*A.A.S.* XXXVIII, p. 349 ss.) sacramentum Confirmationis maritimis ex gravi morbo in mortis periculo constitutis.

2° Facultas administrandi sacramentum Confirmationis, itinere maritimo perdurante, cuilibet puero vel adulto primum in ipsa navi sacra Synaxi refecto; dummodo nullus adsit Episcopus communione gaudens cum Apostolica Sede, et praevideatur confirmandum vel aetate vel inscitia sermonis vel loci adiunctis nonnisi magna cum difficultate in regione immigrationis hoc Sacramentum recepturum, ceterisque servatis de iure servandis ac potissimum, quod attinet ad ritum, Instructione pro simplici sacerdote sacramentum Confirmationis ex Sedis Apostolicae delegatione administrante in Appendice Ritualis Romani inserta.

3° Privilegium altaris portatilis dummodo Missa celebrari debeat in commodum maritimorum; quo uti licebit etiam in mari, iis cautis tamen sartisque quae hac de re habentur in Constitutione Apostolica *Exsul Familia* et praesertim Titulo Altero, art. 28.

4° Facultas celebrandi Sacrificium Missae in navibus, etsi oratorio legitime erecto careant, nocte Nativitatis Domini dummodo celebrationi Missae praemittantur sacrae supplicationes per spatium saltem dimidiae horae et initium Missae ne fiat ante dimidiam horam post mediam noctem, remoto semper quocumque irreverentiae periculo aliisque servatis de iure servandis.

5° Facultas celebrandi Missam in navibus, etsi oratorio legitime erecto careant, nocte quae intercedit inter diem XXXI decembris et I insequentis ianuarii, quolibet anno, cum facultate Missam in-

choandi ipsa media nocte, dummodo sacrae supplicationes perdurent spatio circiter duarum horarum, in hoc comprehenso celebrationis Missae tempore, remoto semper quocumque irreverentiae periculo aliisque servatis de iure servandis.

6° Privilegium celebrandi unam Missam feria V Maioris Hebdomadae.

7° Facultas bis vel ter litandi diebus dominicis et festis de praecepto necnon feriatis in commodum maritimorum quoties necessitas urgeat consulendi eorum bono spirituali per Missae celebrationem.

8° Quoad celebrationem Missae horis vespertinis seu de sero standum est Decreto Sacrae Congregationis S. Officii diei XXXI maii a.1953 (*A. A.S.*, XLV, p. 426).

9° Facultas absolvendi, itinere maritimo perdurante, poenitentes quoslibet a censura quam ad tramitem can. 2350 § 1 C. I.C. abortum procurantes incurrunt, servatis de iure servandis.

10° Facultas absolvendi, maritimo itinere perdurante, servatis de iure servandis necnon ceteris a Sacra Poenitentiaria huiusmodi in adiunctis imponi solent, et in casibus in quibus, iuxta normas in Codice Iuris Canonici can. 2314 § 2 statutas, Ordinarius ipse absolvere posset, quoslibet poenitentes, quavis ratione in navi versantes, a censuris et poenis quibus detinentur ob apostasiam, haeresim vel schisma, exceptis tamen haereticis haereses inter fideles a proposito disseminantibus, tam nemine audiente vel advertente quam coram aliis externatas, eorumque abiurationem, iuridice peractam, recipiendi.

11° Directoribus Nationalibus, iisque tantum, facultas excipiendi, in casu necessitatis, confessiones cuiuslibet fidelis ad se accedentis in locis prope ora maritima suae Nationis, dummodo Director approbatus fuerit ad excipiendas confessiones a proprio Ordinario.

12° Facultas benedicendi sacerdotalia indumenta, mappas et tobaleas seu linteamina altaris, corporalia, tabernacula seu vascula prosacrosancta Eucharistia conservanda et cetera quae ad divinum cultum inserviunt.

13° Facultas benedicendi, ritibus tamen ab Ecclesia praescriptis, cum omnibus indulgentiis a S. Sede concedi solitis, rosaria, cruces, parvas statuas et numismata; adnectendi insuper coronis indulgentias a S. Birgitta et a Patribus Crucigeris nuncupatas.

IV

10. Licet maritimis per integrum anni tempus praecepto paschalis communionis satisfacere.

11. Christifideles in navibus versantes, dummodo confessi ac sacra Synaxi refecti, Indulgentiam plenariam die II augusti, toties consequi valent quoties Oratorium in navi legitime extans, ubi ex indulto apostolico Sanctissima Eucharistia custoditur, pie visitaverint ibique sex *Pater*, *Ave* et *Gloria* ad Summi Pontificis mentem in unaquaque visitatione devote recitaverint.

12. Idem christifideles, iisdemque condicionibus, Indulgentiam plenariam pro defunctis applicandam die II novembris, toties consequi valent quoties praedictum Oratorium pie visitaverint ibique sex *Pater*, *Ave* et *Gloria* ad Summi Pontificis mentem in unaquaque visitatione devote recitaverint.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die II mensis Aprilis anno Mariali MCMLIV, in festo S. Francisci a Paula, Patroni Italorum navicullariorum.

+ Fr. ADEODATUS I. Card. PIAZZA, Ep. Sabien. et Mandelen., *a Secretis*.

L. + S.

† Iosephus Ferretto, *Adsessor*

(*A.A.S.*, vol. 46. pag. 248-252).

(*Adnotationes* ad relata documenta edentur in proximo fasciculo).

II°

NORMAE ET FACULTATES

PRO SACERDOTIBUS IN SPIRITUALEM NAVIGANTIUM CURAM INCUMBENTIBUS NEMPE PRO CAPPELLANIS NAVIGANTIUM ET CAPPELLANORUM DIRECTORIBUS IUSSU SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PII DIVINA PROVIDENTIA PAPAE DUODECIMI EDITAE.

I

1. Legitime assumpti in officium Cappellani navigantium vel Directoris Cappellanorum illi sacerdotes censentur, qui adamussim servatis normis, quae in Constitutione Apostolica *Exsul Familia*, [1] Titulo altero, art. 5 praescribuntur, peculiari obtento a Sacra Congregatione Consistoriali Rescripto, adprobati et nominati sunt.

2. Delegatus ad opera de emigratione qui Cappellanis navigantium sive saecularibus sive regularibus eorumque Directoribus praeest, eos omnes moderatur illisque invigilat, Cappellanos vero ad navem mittit hosque, potissimum per Directorem, sedulo iuvat.

3. Sacerdotibus Cappellanis navigantium et Directoribus Cappellanorum eorumdem sacrum esto religiose servare ea omnia, quae de Cappellanis navigantium eorumque Directoribus praecipiuntur in praedicta Constitutione Apostolica (l. c., c. III).

4. Ut Sanctissima Eucharistia in navis oratorio legitime erecto (ibidem, art. 30) custodiri possit, necessarium est indultum apostolicum a Sacra Congregatione Consistoriali obtinendum.

Huiusmodi autem recursus a Directore Cappellanorum navigantium faciendus est, addito de observantia legum liturgicarum testimonio Ordinarii loci, cui spectat erigere et benedicere oratorium in navi.

5. In sacris peragendis et in divino Officio recitando, itinere maritimo perdurante, Sacerdotes in navi versantes uti possunt kalendario Ecclesiae universalis.

6. In Canone Missae, itinere maritimo perdurante, exprimitur nomen Papae, reticita cuiuslibet Antistitis memoria.

[1] Acta Apost. Sedis a. 1952 p. 649.

7. De baptizatorum, confirmatorum et mortuorum (l. c., art. 25 § 3) libris custodiendis et de authentico eorundem exemplari ad Curiam transmittendo, S. C. Consistorialis statuit:

1° ut authenticum exemplar librorum baptizatorum, confirmatorum et mortuorum a Cappellanis navigantium conscriptorum, ad Curiam transmittatur dioecesis in qua Directoris officium est constitutum;

2° ut unius Directoris sit huiusmodi exemplaria a se exarata ad Curiam transmittere;

3° ut eiusdem Directoris sit de numero eorum, qui a Cappellanis navigantium confirmati sunt, vigore facultatis de qua infra sub n. 8, 1°, et de ratione ab iisdem tanquam ministris extraordinariis in munere perfungendo adhibita, quolibet anno, sub initio anni proxime insequentis, ad Sacram Congregationem Consistorialem et ad Ordinarium memoratae dioecesis mittere relationem;

4° ut adamussim servatis hac de re sacrorum canonum normis, de actis in libris conscriptis quamprimum etiam parochus domicilii eorum de quibus in libris agitur a Directore certior fiat;

5° ut Director Cappellanorum suo utatur sigillo, habeatque tabularium seu archivum in quo memorati libri custodiantur una cum S. Congregationis Consistorialis et Episcoporum epistolis aliisque documentis, necessitatis vel utilitatis causa, servandis;

6° ut unius Directoris sit litteras testimoniales, iis, quorum interest, dare.

II

8. Cappellanis navigantium eorumque Directoribus, quae infra recensentur facultates seu privilegia, *durante munere* tribuuntur.

1° Facultas administrandi, ad normam Decreti Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum *Spiritus Sancti munera* (A. A. S. XXXVIII, p. 349 ss.) sacramentum Confirmationis cuilibet christifideli in navi versanti ex gravi morbo in mortis periculo constituto.

2° Facultas administrandi sacramentum Confirmationis, itinere maritimo perdurante, cuilibet puero vel adulto, praesertim primum in ipsa navi sacra Synaxi refecto: dummodo nullus adsit Episcopus communione gaudens cum Apostolica Sede, et praevideatur confirmandum vel aetate vel inscitia sermonis vel loci adiunctis nonnisi

magna cum difficultate in regione immigrationis hoc Sacramentum recepturum, ceterisque servatis de iure servandis ac potissimum, quod attinet ad ritum, Instructione pro simplici sacerdote sacramentum Confirmationis ex Sedis Apostolicae delegatione administrante in Appendice Ritualis Romani inserta.

3° Privilegium altaris portatilis dummodo Missa celebrari debeat in commodum fidelium in navi versantium, iis cautis tamen sartisque quae hac de re habentur in Constitutione Apostolica *Exsul Familia* et praesertim Titulo altero, art. 28.

4° Facultas celebrandi Sacrificium Missae in navibus, etsi oratorio legitime erecto careant, nocte Nativitatis Domini dummodo celebrationi Missae praemittantur sacrae supplicationes per spatium saltem dimidiae horae et initium Missae ne fiat ante dimidiam horam post mediam noctem, remoto semper quocumque irreverentiae periculo aliisque servatis de iure servandis.

5° Facultas celebrandi Missam in navibus, etsi oratorio legitime erecto careant, nocte quae intercedit inter diem XXXI decembris et I insequentis ianuarii, quolibet anno, cum facultate Missam inchoandi ipsa media nocte, dummodo sacrae supplicationes perdurent spatio circiter duarum horarum, in hoc comprehenso celebrationis Missae tempore, remoto semper quocumque irreverentiae periculo aliisque servatis de iure servandis.

6° Privilegium celebrandi unam Missam feria V Maioris Hebdomadae.

7° Facultatis bis vel ter litandi diebus dominicis et festis de praecepto necnon feriatis in commodum christifidelium in navi versantium quoties necessitas urgeat consulendi eorum bono spirituali per Missae celebrationem.

8° Quoad celebrationem Missae horis vespertinis seu de sero standum est Decreto Sacrae Congregationis S. Officii diei XXXI maii a. 1953 (*A. A. S.*, XLV, p. 426).

9° Facultas absolvendi, itinere maritimo perdurante, poenitentes quoslibet a censura quam ad tramitem can. 2350 § 1 C. I. C. abortum procurantes incurrunt, servatis de iure servandis.

10° Facultas absolvendi, maritimo itinere perdurante, servatis de iure servandis necnon ceteris quae a Sacra Poenitentiaria huiusmodi in adiunctis imponi solent, et in casibus in quibus, iuxta normas in Codice Iuris Canonici can. 2314 § 2 statutas, Ordinarius ipse absolvere posset, quoslibet poenitentes, quavis ratione in navi

versantes, a censuris et poenis quibus detinentur ob apostasiam, haeresim vel schisma, exceptis tamen haereticis haereses inter fideles e proposito disseminantibus, tam nemine audiente vel advertente quam coram aliis externatas, eorumque abiurationem, iuridice peractam, recipiendi.

11° Facultas benedicendi sacerdotalia indumenta, mappas et tobaleas seu linteamina altaris, corporalia, tabernacula seu vascula pro sacrosancta Eucharistia conservanda et cetera quae ad divinum cultum inserviunt.

12° Facultas benedicendi, ritibus tamen ab Ecclesia praescriptis, cum omnibus indulgentiis a S. Sede concedi solitis, rosaria, cruces, parvas statuas et numismata; adnectendi insuper coronis indulgentias a S. Birgitta et a Patribus Crucigeris nuncupatas.

III

9. Licet maritimis per integrum anni tempus praecepto paschalis communionis satisfacere.

10. Christifideles in navibus versantes, dummodo confessi ac sacra Synaxi refecti, Indulgentiam plenariam die II augusti, toties consequi valent quoties Oratorium in navi legitime extans, ubi sanctissima Eucharistia ex apostolico indulto custoditur, pie visitaverint ibique sex *Pater*, *Ave* et *Gloria* ad Summi Pontificis mentem in unaquaque visitatione devote recitaverint.

11. Iidem christifideles, iidemque condicionibus, Indulgentiam plenariam pro defunctis applicandam die II novembris, toties consequi valent quoties praedictum Oratorium pie visitaverint ibique sex *Pater*, *Ave* et *Gloria* ad Summi Pontificis mentem in unaquaque visitatione devote recitaverint.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die XIX mensis Martii anno Mariali MCMLIV, in festo S. Ioseph Sponsi B. Mariae Virginis.

\+ Fr. A. I. Card. PIAZZA, Ep. Sabinen. et Mandelen., *a Secretis* L. + S.

Iosephus Ferretto, *Adsessor*

(*A. A. S.*, vol. 46 pag. 415-418).

(*Adnotationes* ad relata documenta edentur in proximo fasciculo).

JURISPRUDENTIA
SACRÆ ROMANÆ ROTÆ

SACRA ROMANA ROTA

Coram R. P. D. Dino Staffa, Ponente

CLEVELANDEN

Nullitatis Matrimonii

SENTENTIA DEFINITIVA

In jure. - Cum de nullitate matrimonii controvertitur ob exclusum bonum prolis, distingui solet utrum usus tantum an jus ipsum recusatum fuerit ad actus per se aptos ad prolis generationem. Haec distinctio inter jus et usum, quae iuxta ordinem logicum matrimonium respicit in facto esse, obiective realis est, at plurimos nupturientes effugit. Perperam igitur in his casibus, cum de investiganda agitur intentione contrahentis, inquirendum dicitur utrum jus an solum usum ipse excludere voluerit: quod enim non cogitatur mente, voluntate respui nequit. Propterea, cum iuris imperiti negative respondent quaesito utrum iura matrimonialia comparti cedere voluerint, et eo vel magis si eadem recusasse ultro asseverant, merito suspicamur utrum a iureperito responsum aut deponendi rationem didicerint; si e contra asserunt se iura et obligationes suscepisse, dubitandum est utrum quaestionem recte intellexerint, cum frequenter ignorent contractum irritari limitatione consensus.

Juxta logicae et psycologiae normas, ubi a nupturientibus quaestio facta non fuerit de iure ipso excludendo, rectius et utilius inquiritur utrum contrahens consensum in matrimonio praestandum limitare voluerit, id est utrum conditione aperte declarata aut mente retenta matrimonium celebrare noluerit nisi excludendo prolem: haec vero consensus limitatio effugere non potest suum auctorem.

Consensus positive limitatur quoties contrahens, coram se habens duo obiecta: i. e. matrimonium verum seu in sua substantia perfectum, et matrimonium in sua substantia vitiatum, prius absolute reicit, ita ut illo alterum praevaleat. (Cfr. D. Staffa, *De conditione contra matrimonii substantiam*, Romae, 1952, nn. 16 ss.).

Romae, in Sede Tribunalis S. R. Rotae, die 9 aprilis a. 1954.

Coram R. P. D. Petro Mattioli, Ponente

SALERNITANA

Nullitatis Matrimonii

Incidentis de appellatione

DECRETUM

Anno Jubilaei 1950, die 1 mensis martii, hora undecima, in aedibus S. R. Rotae, infrascripti Patres de turno, pro tribunali sedentes: Perpensis aequa attentione iis, quae ab advocato Ioanne, patrono heredum Lemmi, actorum, itemque iis quae ab advocato Francisco, Patrono Dominae Philumenae, reae conventae, exposita sunt; auditis quoque Rev.mi DD. Promotore Justitiae et Vinculi Defensore: haec quae sequuntur animadvertenda tenuerunt:

A) Imprimis Patres recolendum censuerunt causam hanc neque unice, neque praecipue, vinculum sancti matrimonii spectare. Ut ex praecedentibus, namque, indubie patet, filii, quos Joannes Lemmi e primo matrimonio susceperat, defuncto jam patre, legitimitatem puellae, nomine Caietanae, quam praefatus Joannes a Philumena obtinuerat, apud tribunal Regionale Salernitanum-Lucanum impugnantes, *per incidens* nullitatis accusarunt matrimonium, ob neglectam, ut praetenditur, formam lege praescriptam, ab eodem Joanne cum praedicta Philumena, die 8 martii 1941, contractum.

Sed evidens est finis, quem his actionibus filii primi matrimonii Joannis Lemmi sibi consequendum proponunt: i. e. jura hereditaria Caietanae ad ea, quae proli illegitimae spectant, coarctare; Philumenam, vero, uxoris dignitate, et iis, quae ex hac dignitate sequuntur, privare.

Unde, non spirituale contrahentium bonum, nec vinculum, quod jam, ob viri mortem, solutum est; sed jura mere privata heic, per se, ad trutinam revocantur; per accidens, autem, etiam praetensa matrimonii nullitas. Et hic punctum saliens totius quaestionis, imo quaestionum, ob quas hinc inde, ab annis, tam acriter certatur, ponendum est.

B) Etenim nemo ignorat in causis, quae pure sunt de statu personarum, jurisprudentiam benigna quadam largitate, circa fatalium lapsum, constanter usam fuisse. Nam, sive sacramentalis vinculi dignitas, sive animarum salus, quod in ecclesia suprema lex est, exigunt ut invalide ordinatus, vel invalide coniugatus, liber evadat, sicque vitentur incommoda ac sacrilegia, absque fine,

quae aliunde sequerentur, nedum cum individuorum, sed et cum ipsius christianae plebis discrimine.

Attamen, cum, ut in praesens, relata pericula in toto deficiunt, nil vetat, quin imo omnia jubent, ut fatalium cursus, in bonum publicum a lege statutorum, adamussim servetur.

C) Contigit, in praesentiarum, ut novimus, prae primis quaestio an *prosequutio appellationis* adversus sententiam Tribunalis Salernitano-Lucani, pro vinculo decidentem, rite notificatam, ac legitime, coram Judice a quo appellatam, intra praescriptos a lege terminos, idest intra mensem, coram Judice ad quem, peracta fuerit.

Quae quidem quaestio iuxta partis actricis (i. e. filiorum primi matrimonii Joannis Lemmi) placita a Turno coram R. P. D. Pecorari, die 11 aprilis 1946, decisa fuit; itemque a Turno coram R. P. D. Heard, die 1 iulii subsequentis.

Appellante ulterius parte conventa, i. e. domina Philumena, a Turno coram R. P. D. Wynen, die 16 januarii 1947, decisum est appellationi obstare rem judicatam.

Sed, per recursum ad Supremum Signatura Apostolicae Tribunal, conventa restitutionem ad integrum obtinuit.

Exinde, quaestione denuo proposita in Turno coram R. P. D. Pasquazi, sub die 19 julii 1949, eadem conventa decisionem tandem sibi favorabilem suscepit.

Et publicato decreto mox laudati Turni die 28 eiusdem, advocatus actorum, die 2 augusti, appellationem interposuit; prosequutionis, vero, libellum, coram Ponente Turni ad quem, non intra mensem, ut lege jubetur, sed solummodo die 3 octobris exhibuit.

D) Statim Patronus conventae excepit applelationis prosequutionem, in casu, *intra fatalia non contineri*: nam mensis, quidem a die appellationis interpositae computandus, in diem 2 septembris, i. e. in periodum pro Tribunali feriatam, mathematice cadebat; elapsis vero feriis, die 21 eiusdem, appellans tenebatur prosequutionis actum proferre. Quod si non fecit, legitime praesumitur appellationem deseruisse ac decisioni acquievisse.

E) Adversus quae, mordicus restitit partis actricis patronus, his praecipue innixus:

1) Appellatio, ex lege, prosequenda est, intra mensem, coram Judice *ad quem* (can. 1883); sed iste Judex, in casu, ignorabatur, eo quod Patres turnorum sequentium de causa jam viderant;

2) quia, dempta periodo feriarum Tribunalis (quae currit — ut scitur — a die 13 augusti usque ad diem 20 septembris), triginta dierum spatium, inter diem appellationis et diem prosequutionis, de facto completum non fuit.

F) Patres autem de turno in contrarium prorsus judicium devenerunt. Nam Sacra Rota peculiare prorsus, idque unicum, est tribunal, quod « judicat quoque in secunda et tertia instantia ope turnorum, qui sibi invicem succedunt » (can. 1599 par. 2). Ipsa tantum, proinde, est Judex *a quo*, simulque Judex *ad quem*, praecisione facta ab Auditorum seu judicum personis aut nominibus, apud eamque sua quisque tractat, vindicat, prosequitur, renunciat, etiamsi jus omnium et singulorum Auditorum una simul forte resolvatur, puta per mortem, aut officii dimissionem, et ita porro.

Ceterum, advocatus partis actricis, qui jure merito, contra pratensea patroni conventae, defendit validam ac legitimam fuisse appellationem contra sententiam Tribunalis Salernitano-Lucani, etsi in libello appellationis eiusdem Tribunal *ad quod* minime indicatum fuerat, a fortiori hodie cogetur admittere valide ac legitime ipsum appellationem prosequi posse ac debere coram Tribunali Sacrae Romanae Rotae, etsi de nomine Auditorum turni *ad quem* adhuc non constaret.

Adverterunt etiam Patres personam seu nomen judicis *ad quem*, ut plurimum ,ignotum adhuc manere, dum actus appellationis prosequutionis exhibetur apud Tribunalia ordinaria metropolitana, vel utcumque statuta pro causis in superioribus jurisdictionis gradibus pertractandis: nam difficile est, apud officia illa, quod Collegium judicantium constituatur ab Archiepiscopo vel ab Officiali statim ac appellatio quaecumque perveniat. Et tamen fatalia, hoc minime obstante, pariter decurrunt ac peremptorie terminant, jura praecludendo non satis vigilantibus. Verbi gratia, ut argumento « ad hominem » utamur, celeberrima epistula illa ab Officiali Salernitano, die 4 octobris 1944, data, quam actum prosequutionis appellationis constituere Patronus actorum omni nisu contendit, nomen judicum *ad quos*, vel Praesidis Superioris Tribunalis Collegialis nullimode refert, sed simpliciter dirigitur ad « Rev.Mo Tribunale Regionale di appello presso la Curia Arcivescovile di Napoli ».

Insuper, egr. actorum Patronus non advertit ipsum textum legis ei, in casu, si et in quantum, succurrere potuisse, imo et debuisse. Constat enim decendium ad appellandum, utpote peremptorie constitutum, vi legis (can. 1634, par. 1) prorogari haud posse, nec a judice, vel partibus consentientibus (Lega-Bartoccetti vol. II, pp. 986 ss.).

Non idem vero, dicendum est circa mensem ad appellationem prosequendam ordinatum; nam, quacumque justa ex causa, judex *a quo* illum, parte petente, prorogare potest (can. 1883). Quod jus Normae H. S. O. expresse contemplantur, illudque tribuunt Po-

nenti turni *a quo* (art. 156, par. 1), qui, in casu, optime cognoscebatur ac facillime adiri poterat.

Tandem, quod cl. actorum Patronus reclamat sub n. 2, ut supra, periodum nempe feriarum Tribunalis inter triginta dies, quibus fatalia prosequutionis decurrunt, non esse computandum, expresse contradicitur sive a concordi Auctorum sententia (Lega-Bartoccetti l. c.), sive a Normis H. S. O. (Art. 156 par. 2).

Hisce attentis ac notatis, Patres de Turno, praepositae quaestioni: « An appellationem legitime interpositam adversus decretum turni coram R. P. D. Josepho Pasquazi, die 19 julii 1949 latum, ac die 28 publicatum, intra fatalia pars actrix prosequuta fuerit », respondendum, in primo utique jurisdictionis gradu, decreverunt:

« *Negative*, idest *appellationis*, etsi legitime interpositae, *prosequutionem*, in casu, *intra fatalia non contineri;* ideo ad ulteriora procedi non posse ».

Franciscus Brennan
Guillelmus Doheny
Petrus Mattioli, *Ponens.*

Coram R. P. D. Pericle Felici, *Ponente*

SEPARATIONIS

Incidentis: de alimentis

DECRETUM

diei 9 februarii 1954

Omissis. - 1) Partes in causa, Hannibal et Lucretia, instantiam porrexerunt Tribunali ecclesiastico diocesano, ille quidem prior, haec vero posterior, ad obtinendam separationem.

Tribunal dioecesanum separationem denegavit partesque ad conciliationem invitavit. Appellante viro, tribunal secundi gradus separationem pronuntiavit ob culpam uxoris: damnavit quidem virum ad pensionem alimentariam solvendam uxori a die initi processus usque ad sententiam secundi gradus prolatam; at simul censuit nullum amodo esse uxori conventae ius pensionis alimentariae percipiendae.

Contra quam sententiam pars conventa ad N. S. O. appellavit, simulque petiit ut, quoad quaestio de merito in appellatione definiretur, sibi necessariis vitae destitutae tribueretur (a viro solvenda) pensio alimentaria. De hac incidenti instantia est Patribus decidendum.

2) Cum actor rite invitatus sit ad sibi deligendum patronum ut appellatio ab uxore conventa proposita penes N. S. O. videretur, et actor, cuius procurator invitationem de qua supra accepit, nullam adhuc responsionem dederit: videatur igitur processum negligere in damnum conventae appellantis: audito et favente Promotore Iustitiae, visum non est eundem actorem iterum citare pro solvendo hoc de alimoniis incidenti, cuius definitio, ut patet, ulteriores non patitur moras. Parti vero conventae appellanti datus est patronus ex officio.

3) Quoad vel vinculi matrimonialis nullitas iuridice et exsecutive declarata sit, vel legalis separatio sit item exsecutive concessa ad normam ss. canonum, spectat ad virum (et secundario ad uxorem quoad virum, si hic non sua culpa pauper, uxor vero dives), non solum iure ecclesiastico et civili, sed ipso quoque iure naturali, consequenti contractum nuptialem, praestare uxori debita alimenta (cfr. *Heliopolitana Maronitarum*, Separ. et alim. diei 25 mai 1950 c. *Canestri*).

Ideo antequam vel nullitatis matrimonii pronuntiatio vel separationis concessio in rem quasi iudicatam transierit (ipsae quoque separationis causae ad statum pertinet personarum), nequit vir eximi a praestandis alimoniis de quibus supra: ne tunc quidem cum mulier ex se vel ex sua familia habeat unde vivat: huiusmodi quippe obligatio ipsi matrimoniali statui connexa est.

Quinimo si statu personarum mutato (ut contigit in declaratione nullitatis, in privilegio fidei, et in dispensatione super rato), ipsa cessat obligatio alimentorum; haec per se non cessat, separatione, licet ob uxoris culpam, impetrata: in tali enim casu, ut pronuntiat decretum diei 3 iulii 1952 in una *Beryten. Melchitarum* Separ. et alim. c. *Canestri*: « poterit iudex fretus praescripto legis, alimentorum uxori debitorum mensuram reducere, aut praestationem eorum suspendere, sed obligationis radix semper intacta manebit: status personalis enim coniugatorum immutatus persistit ».

4) « Cavendum est ab erronea interpretatione verbi 'alimenta' quasi sonet genericam et vulgarem significationem praestationis minimarum rerum ad necessitatem vitae personae indigentis atque in infimo societatis ordine degentis. Quoties sermo recurrit de alimentis coniugi praestandis utendum magis proprie esset termino 'suppetiarum' ad agendam vitam plus minusve commodam secundum socialem familiae conditionem; absonum enim iniustumque esset medici au advocati uxorem deicere ita ut tanquam famula vivere cogatur » (ita decretum citatum in *Beryten. Melchitarum*, c. *Canestri*).

5) In casu praesenti cum de duabus latis sententiis, posterior tantum separationem pronuntiaverit, ab eaque, pleno iure, appellaverit pars conventa, dici nequit separatio transisse in rem quasi iudicatam: ideo est viro actori plena obligatio praestandi uxori conventae debita alimenta, adeo ut mirandum sit quod tribunal appellationis, quod uxori accipiendorum alimentorum ius agnovit usque ad pronuntiationem suae sententiae, tale ius non agnoverit — cum ius esset uxori appellandi — saltem usque dum pronuntiatio separationis in rem quasi iudicatam transierit.

6) Venter, uti dici assuevit, non patitur moram: ideo huiusmodi quaestio est quam citissime exsecutioni mandanda, quolibet actoris recursu vel appellatione remota; eo vel magis quod mulier sine opitulamento suorum, fame perire deberet.

7) - Omissis

His omnibus in iure et in facto animadversis, visis praeterea can. 445 § 2, n. 1 et can. 194 Legis de iudiciis pro Orientalibus (AAS. 1950, pag. 47, 96) atque praehabito voto favorabili Rev.mi Promotoris Iustitiae, Patres Auditores de Turno.

DECREVERUNT

Partem actricem damnari ad solvendam pensionem alimentariam uxori appellanti, a die qua pronuntiata est sententia secundi gradus ad exitum definitivum causae de merito... (Omissis) Quolibet recursu vel appellatione remota, nulloque ob rei urgentiam admisso iuris remedio. Ad nullam praeterea tenetur mulier cautionem praestandam.

Coram R. P. D. Pericle Felici, *Ponente*

Nullitatis Matrimonii

d. 6 martii 1954

In iure - 2) Cum matrimonium graves per totam vitam pariat obligationes, ad illud contrahendum non sufficit usus rationis, quem actus quilibet humanus exigit: ea profecto requiritur iudicii discretio et maturitas, quae naturam et vim matrimonialis contractus percipere sinat (cfr. Gaspari, *De matrim.* II, 783): aliis verbis, prouti enuntiatur in una *Romana Null.* matr. d. 26 febr. 1952 c. *Felici*: « etsi sespuenda sit sententia eorum qui falso opinantur requiri ad valorem consensus matrimonialis aestimationem seu appretiationem, per peculiarem quidem psychicam facultatem factam, valoris ethici, socialis et religiosi nuptiarum (cfr. S. R. R.,

Null. matr. d. 25 febr. 1941 c. *Wynen*: cfr. etiam Felici P., 'Annotationes in Allocutiones Summi Pontificis ad Praelatos Auditores etc., in *Apollinaris* 1942, p. 207): exigitur tamen ut contrahens momento nuptiarum sciat matrimonium esse societatem permanentem inter virum et mulierem filiorum procreandorum causa. Haec quidem discretio ante pubertatem non praesumitur, sed validis probanda est argumentis: post vero adeptam pubertatem praesumitur et nonnisi validis excluditur argumentis (cfr. can. 1082 § 1, 2: cfr. etiam S. C. Conc. in *Ventimilien.*, Matrim., d. 19 maii 1888) ».

3 - Disceptatur in praesenti utrum huiusmodi discretione gaudeant ii qui delirio afficiuntur paranoico, quique inter sanos versantur saepe et munia nonnumquam obeunt, quae unis sanis exercenda essent.

Dicitur paranoia anomalia constitutionalis, quae latens aetate iuvenili, explodit et maturatur decursu annorum ideisque signatur delirantibus lente cohaerenterque se evolventibus usque ad extremos verisimilitudinis limites. Huiusmodi delirium omnibus vitae adiunctis fovetur, tenaci rerum praeteritarum memoria confortatur necnon sensu critico, sat acuto, sed unilaterali, obstinato, incoercibili qui igitur omnino improprie sensus criticus vocatur. Delirium plene possidet paranoicum, eius personalitatem ita permeat et invadit ut sit unica cogitandi agendique via et forma. Eapropter omnino improprie paranoia inter monomanias adscribi assolet: non enim unam vel aliam facultatem inficit sed totam, uti diximus, personalitatem.

4 - Elementia essentialia delirii paranoici sunt vehemens egoismus, ac veluti egocentrismus: altissimus sui conceptus: plena diffidentia erga alios: mysticismus quidam falsus, expansivus et operativus: singularis sensus dominationis atque identitem subiectionis erga eos qui peculiari digni amore aegrotae menti appareant: praesertim rara tenacia et cohaerentia sensuum qui moderantur personalitati: « In modo specialmente saliente si rileva nei malati la propensione a portare i fatti del mondo esterno in rapporto con la propria personalità. Punto indagati, senza riflessione, con una logica a rovescio comunque formalmente retta, nascono questi rapporti ed hanno per la coscienza il significato di fatti irrevocabili. Persino le parole prive di significato o che ne hanno uno accidentale vengono molto tenute in conto, fanno profonda impressione, vengono invertite e interpretate nel modo più barocco, simbolico e strano (modo non possibile ad un cervello normale) in

rapporto con la propria personalità » (KRAFT-EBING, *Trattato clinico pratico delle malattie mentali*, Torino 1886, vol. II, p. 138).

5 - Ratio agendi paranoici haud semel videri exterius potest hominis abnormis et singularis, at non amentis, maximeque ad hoc confert dissimulatio apud eos frequentissima: « Esso è un atto di opportunismo che serve al paranoico avveduto per evitare in società la taccia del matto, per evitare la temutissima reclusione nel manicomio o l'interdizione, per riottenere la libertà e la capacità civile... Certi paronoici riescono a dissimulare per molti anni e magari per tutta la vita, anche se col loro delirio navigano già in alto mare. Altre volte quando un episodio critico fa prorompere il paranoico in atti violenti e in aperta proclamazione del suo delirio, fa maraviglia come egli abbia potuto nascondere così a lungo le proprie idee persino ai parenti più prossimi » (TANZI-LUGARO, *Malattie mentali*, Milano 1923, vol. II, pag. 767: cfr. etiam MOGLIE, *Manuale di Psichiatria*, Roma 1940, pag. 519). Ipsorum tamen amentia, etsi dissimuletur, inde colligi potest quod tam abnormis cogitandi agendique ratio caret « di ogni fondo emotivo o di un qualsiasi processo che abbia dato origine alle idee deliranti » (KRAFT-EBING, op. cit. pag. 135).

6 - Origo morbi haud bene comperta est. Haereditas habet suam partem: attamen ascedentes difficile inveniuntur tali morbo laboravisse aliisve gravibus morbis mentalibus: fuerunt potius indole habituque abnormes, hysteria, hypocondria, dipsomania affecti. Super hanc humum expedite crescit et alitur paranoia, quae primum se manifestat constitutione vel indole omnino singulari et abnormi, quam vocant paranoidem: dein vero, crescentibus annis, ideis delirantibus multiformibus et variis, ut sunt variae aegrotorum indoles, atque in dies sese evolventibus a periodo umbratae quietis (*stadium incubationis*) ad plenam perfectamque aegritudinem, cum nempe « le false imputazioni incoscienti si sviluppano da percezioni illusorie, fino ad acquistare l'apparenza della realtà, dopo una lotta fra congetture, per poi rinchiudersi in coscienza con gli affetti propri al delirio. Tutto ciò accade con critica ed avvedutezza... Una percezione non alterata e priva di un colore qualsiasi non è più possibile. Transitoriamente si può arrivare al delirio di essere un altro individuo. Tutto è invertito, illusorio (delirio metabolico, Mendel) » (KRAFT-EBING, op. cit. pag. 140).

7 - Themata delirii paranoici non sunt multa nec admodum speciosa: et possunt, claritatis gratia, duabus praecipuis formis phaenomenicis includi: altera quidem resultanti ex ideis deliran-

tibus primordialibus compromissionis propriorum commodorum et utilitatum (*delirium persecutionis*): altera vero ex ideis delirantibus item primordialibus exaggeratae eorundem commodorum utilitatumque praelationis (*delirium ambitiosum* seu *magnitudinis*).

Delirium persecutionis, quo aegrotus firmiter credit se omniaque sua, vitam, valetudinem, honorem, bona fortunae periclitari ex inimicis, qui supponuntur et non sunt, haud raro derivat ex delirio ambitioso: quatenus aegrotus postquam inaniter conatus est imponere suam celsitudinem putat infensissimos hostes omnes quicumque repugnare videntur.

Cum delirio persecutionis connectitur delirium *querulomaniacorum* vel *processomaniacorum*, eorum scilicet qui praesumpta sua iura legitimum in modum tutari cupientes, prope infinitas et sine fundamento proponunt apud iudicem legitimum querelas et lites: qui insuper ob inania motiva, quae tamen iisdem videntur gravissima, altercantur rixasque nectunt, ubi praesertim compererunt inutilem esse recursum ad legitimam auctoritatem (cfr. Tanzi-Lugaro, op. cit. p. 770).

Delirium ambitiosum ut suas species habet delirium *religiosum*, eorum scilicet qui se reputant innovatores mundi, novos messias, novas matres Dei etc.: delirium *inventorium*, eorum scilicet qui ex rudibus inventis, nullius ferme valoris, censent se magna effecisse, summa cum hominum utilitate: demum delirium *eroticum* (*erotomaniam*).

Themata delirii eiusque formae non raro in eodem subiecto diversis modis miscentur, efformando novos morbi typos, qui tamen easdem ferme praeferunt notas vehementissimi egocentrismi insolitaeque fixitatis.

8 - Paranoia remissiones seu lucida intervalla vix habet: eaeque, quae remissiones videntur, sunt potius dissimulationes, quibus, uti diximus, aegrotus lucide utitur ad consequendos fines per delirium impositos. Exitus demum paranoiae est plerumque infaustus: « Rare sono le vere guarigioni. Esse avvengono più nei deliri di persecuzione che in quelli di grandezza, più nei casi acquisiti che negli originari. Dopo avvenuta la trasformazione, la prognosi è chiusa ala speranza. Dopo che il quadro morboso ha raggiunto il completo sviluppo esso rimane per lo più stazionario » (Kraft-Ebing, op. cit., p. 143: cfr. etiam Tanzi-Lugaro, op. cit. p. 767).

9 - Quid dicendum de facultate discretiva paranoicorum? Iidem semper lucidi sunt: turbae psychicae quibus agitantur eorum conscientiam vix afficiunt: ideo nec confusi sunt neque allucinationibus

(nisi in rarissimis casibus) vexantur. Quinimo haud infrequenter cum sub impulsu delirii oppugnare adversarios debeant, arma dialecticae ita acuunt ut aliis intellegentiores appareant.

Quamquam tamen lucido intellectu pollent, facultate critica paranoici omnino destituuntur: delirio enim unice agitantur sub eiusque imperio inconscie agunt, ita ut nequeant de propriis actibus neque moraliter neque iuridice respondere. Aptissime Roberti: « Imputabilitas actionum quae fiunt sub influxu ideae paranoicae nullus est » (*De delictis et poenis*, I, pars I, 133).

Huiusmodi discretionis et imputabilitatis defectus plenus est in iis qui delirio in perfecta iam evolutione afficiuntur: sed non adeo plenus dicendus est in iis qui indolem tantum paranoidem praeseferunt vel etiam in statum incubationis vix ingressi sunt. Cum tamen aegrotus delirio invasus est, vix est fidendum apparentibus remissionibus. Ita in una *Detroiten.*, Null. matr. d. 16 dec. 1943 c. *Jullien*: « Nonnulli eiusmodi morbi cum evoluti sunt, quin lucida intervalla concedant, non impediunt tamen quominus mentecaptus aliquandiu externam integritatis speciem retineat, suis negotiis vacet apteque agere videatur: id quidem vi physicae incitationis seu naturalium facilitatis atque firmitatis, quas parit excitatio praeterita vel habitus, uti veteres obesrvabant: *Saepe enim furiosi sunt constituti in conspectu quietis umbratae, nec tamen sunt mentis sanae, licet videantur* (Gl. in cap. *Dilectus*, n. 24, X, De sponsal. IV, 1, v. Furore: post Dig. XLI, 2, De acquir. vel omitt. possessione, I, 18, 1) ». Ibidem autem citantur decisiones Rotales *Quebecen.*, Null. matr. d. 23 dec. 1918 c. *Sincero*: *Taurinen.*, Null. matr. d. 17 augusti 1922 c. *Prior*: tandem Null. matr. d. 30 aprilis 1935 s. *Morano.*

Quoad monomanias autem, quibus improprie, uti diximus, paranoia accensetur, censent plurimi hodie doctores iuris, iuxta opinionem psychiatrorum, monomaniacos « ita esse intellectu perturbatos ut numquam satis constet de eiusdem recto usu » ne in ea quidem materia quae videtur maniae subtrahi (Chelodi, *Ius poenale*, n. 62: cfr. etiam Wernz-Vidal, *Ius canonicum*, VII, n. 64: Noval, *De semiamentibus et semiimputabilitati obnoxiis*, in *Ius pontif.* 1924, p. 82: De Smet, De spons. et matrim., n. 522 bis, nota-5); unde concludunt Gasparri (*De matrim.* II, n. 884) et Cappello (*De matrim.* n. 579): « practice sententiae negativae adhaeremus », non haberi scilicet unquam necessariam discretionem.

1) In occasione della redazione delle Bolle di fondazione o di erezione di enti ecclesiastici, ad evitare ogni possibile contestazione futura, si abbia cura di determinare con chiarezza gli enti, che vengono costituiti. In particolare, per l'erezione di nuove parrocchie si faccia esplicita menzione della costituzione del beneficio parrocchiale, della chiesa parrocchiale e della parrocchia, come persone giuridiche distinte tra loro, ciascuna a sè stante, descrivendone i relativi diritti patrimoniali, come sopra è stato spiegato.

2) Per i benefici parrocchiali, chiese parrocchiali e parrocchie già costituite si provveda a riordinare gli stati patrimoniali ed economici relativi, a norma di quanto è stato detto avanti.

3) In caso di errata intestazione catastale, i rappresentanti degli enti ecclesiastici interessati agiranno in conformità alle citate istruzioni del competente Ministero.

* * *

19. — Aliter sentit P. Gommarus Michiels [13], il quale parte dal presupposto che il substrato formalmente costitutivo della parroc-

[13] Cfr. *De personalitate morali ex ipso juris praescripto in Codice juris canonici* in *Acta Congressus Internationalis Juris Canonici Pont. Universitatis Gregorianae.* 1954.

chia come persona morale (cui come soggetto spettano i diritti spirituali, i beni temporali e gli oneri propri della parrocchia) sia l'*officium parochi praecisive sumptum*, inteso cioè come un « munus ecclesiasticum stabiliter constitutum pro necessaria cura spirituali fidelium in determinata circumscriptione territoriali dioecesis habitantium et ecclesiae paroeciali uti sedi propriae adnexum; hoc officium sacrum sane — egli conclude — est paroeciae canonicae nucleus, a quo tamquam ab activo et unitivo totius organizationis paroecialis principio animatur et ordinatur vita iuridica paroeciae qua tali propria ».

Dall'unità di tale *officium sacrum* egli deduce l'unicità della persona morale « parrocchia », di cui la chiesa e il beneficio sarebbero elementi integranti.

Nessuno nega che l'*officium sacrum paroeciale* entri nella personalità morale della parrocchia, della chiesa parrocchiale e del beneficio parrocchiale. Ma quel che si contesta è che l'*officium sacrum* in genere abbia *ex ipso juris praescripto* la personalità morale, e che l'*officium sacrum parochi* sia esso stesso ed esso solo l'elemento costitutivo dei tre enti predetti, e non invece (come sopra abbiamo dimostrato: v. n. 10) — che tale *officium sacrum* entra nella costituzione dei detti tre enti, in quanto ha con essi una relazione che è differente dall'uno all'altro.

Nessuno di questi tre enti però si identifica con l'*officium sacrum parochi* e viceversa, come pure avanti si è dimostrato (n. 10).

Nè vale richiamare il c. 216 par. 1 (nel quale, dopo la menzione delle parti territoriali, in cui vien divisa la diocesi, è fatto cenno anche della chiesa e del pastore, quasi sia un unico ente giuridico comprendente il *coetus fidelium cui praeest pastor*, la chiesa parrocchiale e il beneficio parrocchiale); giacchè al par. 3 dello stesso c. 216 si precisa che « paroeciae sunt partes territoriales, de quibus in par. 1 », (ossia il « coetus fidelium, cui praeest pastor » viventi in ciascuna di quelle parti territoriali), non già la chiesa e il beneficio. Questi sono invece distinti enti giuridici, che, essendo però connessi con la « paroecia », vengono anche menzionati dopo la definizione della « paroecia » nei loro elementi reali e personali. Infatti l'*ecclesia*, di cui si fa cenno al detto par. 1, è l'edificio sacro piuttosto che la persona morale, di cui al c. 99; il *rector*, il *pastor*, di cui pure si fa cenno al predetto par. 1, è il titolare del beneficio parrocchiale e non, ovviamente, lo stesso beneficio parrocchiale.

Invece il P. Michiels si sforza di identificare la paroecia col beneficio e con la chiesa parrocchiale per ribadire l'unità dell'ente parrocchia.

E poichè nel Codice tanto la parrocchia che il beneficio parrocchiale in genere sono riconosciuti come persone morali *ex ipso juris praescripto*, il P. Michiels afferma che non vi è un solo prescritto del Codice, nel quale si stabilisca apertamente o inequivocabilmente si supponga che il beneficio parrocchiale sia una persona morale « numerice ac specifice » distinta dalla parrocchia stessa. E qui rimandiamo a quanto in proposito è stato analiticamente da noi dimostrato in contrario (cfr. n. 6-10).

Contro il c. 1356 par. 1, in cui sono sottoposti al tributo pro Seminario sia « omnia beneficia » e quindi anche i benefici parrocchiali, sia « paroeciae et quasi-paroeciae », il Michiels oppone il par. 2 dello stesso canone, nel quale si dice che tale tributo tocca direttamente « reditus seu fructus beneficiales ex bonis specifice dotalibus provenientes, et reditus paroeciae ex bonis specifice paroecialibus provenientes », concludendo che l'adempimento dell'onere, di cui al c. 1356 par. 1 cumulativamente inerente all'una e all'altra specie, urge ugualmente e viene assicurato tanto nell'ipotesi che i beni, specificamente beneficiali e specificamente parrocchiali, dai quali rispettivamente provengono tali redditi, appartengano allo stesso e unico soggetto di diritto, quanto se appartengano a distinti soggetti di diritto.

Ma se si trattasse di un unico e identico soggetto di diritto, non si comprende perchè il legislatore, dovendo imporre una vera e propria obbligazione giuridica (che, secondo lo stesso P. Michiels, presuppone un soggetto di diritto, cui s'impone), abbia elencato distintamente i due enti tanto nel par. 1 che nel par. 2 del c. 1356. Precisamente perchè li elenca distintamente, noi abbiamo dedotto che nel caso ci troviamo di fronte a due persone morali numericamente e specificamente distinte tra loro. Altrimenti tanto valeva elencarne uno solo, se questo fosse giuridicamente comprensivo anche dell'altro.

Parimenti, poichè nel Codice è affermata esplicitamente la personalità morale delle chiese in genere (e quindi anche della chiesa parrocchiale), il P. Michiels, per sostenere l'unicità della personalità morale della parrocchia (di cui la chiesa sarebbe uno degli elementi costitutivi), afferma che « neque ex ipsa rei natura, neque ex jure canonico positivo aliquid obstet, quominus persona moralis determinata aliam personam moralem ingrediatur ut reale eiusdem elementum ».

Al contrario, l'autonomia è la caratteristica della persona morale; che, se è veramente tale, non può quindi nello stesso tempo essere l'elemento reale di un altra persona morale. Può essere subordinata, ma se è vera persona morale, deve essere sempre autonoma, ossia *sui juris et suiipsius*.

Perciò il P. Michiels è costretto di conseguenza ad affermare che l'*ecclesia paroeciàlis* non è una persona morale veramente autonoma, giacchè costituisce piuttosto come l'« obiectum juris », ossia « qua obiectum patrimoniale quod (cum juribus et oneribus realibus ei adnexis) regulariter in dominium pertinet ad ipsam paroeciam — personam moralem vel (in casibus exceptionalibus, in quibus tamquam ecclesia paroecialis assignata est ecclesia in dominium alius personae moralis posita, ut ecclesia alicuius domus religiosae aut ecclesia cathedralis) quo paroecia-persona moralis saltem disponit qua medio principaliter ad finem sibi proprium assequendum ordinato ».

Ciò che varrebbe se per *ecclesia*-persona morale s'intendesse l'*aedes sacra lapidibus et parietibus constans*, ossia materialmente presa (il che non è, come s'è detto avanti: v. n. 4), non già (come invece è: v. avanti, ibid.) il soggetto di diritto, cui compete l'esercizio del pubblico culto in un edificio sacro in forza della *deputatio* di questo al pubblico culto.

20. Riassumendo:

a) E' fuori controversia che il Codice di diritto canonico classifica tra le persone morali *ex ipso juris praescripto* la chiesa parrocchiale (c. 99) e il beneficio parrocchiale (c. 1409), che sono enti realmente distinti (anche se intimamente connessi) tra loro;

b) è parimenti fuori controversia che persona morale *ex ipso iuris praescripto* è pure la *paroecia*, intesa come « coetus fidelium cui praeest pastor », e quindi realmente distinta tanto dall'ente-chiesa parrocchiale quanto dall'ente-beneficio parrocchiale.

Concludiamo perciò che, in base ai principi generali posti dallo stesso P. Michiels nella sua citata Relazione e applicati da noi a questa materia, la parrocchia, la chiesa parrocchiale, il beneficio parrocchiale sono, a norma del Codice di diritto canonico, tre distinte persone morali *ex ipso iuris praescripto*.

Ciò che vale anche per la diocesi, la chiesa cattedrale e la mensa vescovile.

Fiorenzo Romita

POTESTAS DISPENSANDI SUPERIORUM TERRITORIALIUM ET PEREGRINI.

Brevis dissertatio de subiecto passivo potestatis dispensandi concessae canone 1045, quam publici iuris fecimus in *Monitor Ecclesiasticus* (1953, fasc. IV) aliqua excitavit canonistarum commentaria, a me libenter recepta. Sunt enim conatus collaborandi et invitationes ad laborandum ut progrediatur scientia iuridica. Ut istorum canonistarum desiderio satisfaciam, quaestionem nunc fusius tractabo; praecipue quod attinet ad doctrinam eorum qui a me dissentiunt, et ad rationes quas isti adducunt ut eorum propriam doctrinam probent, sive ut certam sive ut probabilem. Verum sane est, quod aliqua doctrina proprie demonstratur vera rationibus quae nituntur principiis iuris et principiis scientiae iuridicae et textu legum seu canonum. Attamen sententiae sic solide probatae firmitas non leviter confirmatur si demonstretur rationes, quibus alii sententiam fulciunt contrariam, carere vi probandi aut si denuntietur quod plures auctores sententiam contrariam docent quidem sed nullas afferunt rationes. Hoc praecipue utile est, immo aliquando necessarium, ad convincendos illos iuris canonici cultores, qui proni sunt ad negandum aliquam sententiam esse certam solummodo quia legunt plures auctores contrariam sententiam tenere, saltem ut probabilem, etiamsi nullatenus cognoscant rationes quas isti afferunt aut iudicium ferre non valeant de valore istarum rationum. Et, proh dolor, huiusmodi canonistae dantur multi.

Iterum nobis agendum est de extensione potestatis dispensandi concessae canone 1045. Cum autem duplici modo omnino diverso aliquis demonstrare possit sententiam a nobis propugnatam non esse veram aut certam, de duabus nunc nobis agendum est doctrinis.

Plures enim dantur canonistae qui circa subiectum passivum potestatis dispensandi propugnant doctrinam, qua admittitur superiores territorio praepositos (Ordinarios loci et parochos) [1], potestatem dispensandi, qua gaudent, *generaliter* exercere posse erga omnes in territorio suo actu commorantes ideoque etiam erga peregrinos. Evidens est canonistam qui hanc sententiam ut veram admittit non indigere argumentis seu rationibus *specialibus*, quae

[1] Ne cogamur saepe repetere eadem verba, statuimus nos in hac dissertatione loqui de potestate Ordinariorum locorum et parochorum seu de potestate illorum superiorum, qui regunt aliquod territorium aut accuratius dictum, qui regunt coetum fidelium determinatum ratione alicuius determinati territorii. Hoc iam apparet ex materia disceptationis. Fidelis enim est peregrinus relate ad aliquem superiorem vi suae habitudinis ad locum seu territorium.

textu vel contextu aut aliis elementis nituntur *canoni 1045 propriis*, ut demonstrant potestatem hoc canone concessam exerceri posse erga peregrinos. Si vera sit doctrina: potestas dispensandi Ordinariorum locorum et parochorum per se (per modum regulae generalis) exerceri potest erga peregrinos, iam constat potestatem canone 1045 concessam exerceri posse erga peregrinos. Nam in hoc canone nihil speciale habetur, quo potestas in eo concessa subtrahitur a norma generali seu quo derogatur normae generali.

Haec ratio nos cogit ut, tractaturi de subiecto passivo canonis 1045 cum speciali respectu ad doctrinam canonistarum, prius agamus de *doctrina generali* circa extensionem potestatis dispensandi ad peregrinos.

Deinde remanet adhuc officium agendi de rationibus *specialibus*, quibus plures alii auctores, independenter a doctrina generali modo designata, propugnant sententiam quae tenet saltem illam *specialem* potestatem quam canon 1045 concedit Ordinariis et parochis, exerceri posse erga peregrinos.

METHODUS ADHIBENDA

Opus interpretis, cuius finis est cognoscere quid sit ius vigens, merito ab ipsis iurisperitis extollitur ut opus vere scientificum [2]. Ad hoc opus laudabiliter et cum fructu absolvendum interpreti praestant multa media multique modi procedendi. Attamen non omnes modi procedendi eundem habent valorem nec eandem praebent securitatem ad detegendum quid sit ius. Quapropter scientiae iuridicae cultus exigit ut interpres critico iudicio distinguat diversos procedendi modos secundum valorem quem habent. Datur inter diversos modos procedendi aliqua hierarchia sub aspectu valoris. Male agit interpres, qui arbitrarie et absque necessitate omittit methodum seu modum procedendi magis scientificum, magis tutum et securum, ut aliam adhibeat. Sic enim absque ratione se exponit graviori periculo errandi. Periculum errandi in scientia canonica natura rei iam est sat grave. Non promovet huius scientiae finem, cognitionem scilicet certam iuris vigentis, qui illud adhuc auget praeëlegendo methodos minus tutas.

Ipsa natura scientiae iuris canonici et ipsa natura interpretationis Codicis indicant tamquam methodum prae aliis aestimandam, praeelegendam et primo loco adhibendam, illam operationem, qua interpres *procedit ab ipso textu legis seu fontis iuris*, quae de re inquirenda agit. Pro nostra quaestione fons ille est Codex, cui

---

[2] Vide relationem quam pronuntiavimus in Congressu Internationali in fine mensis Aprilis celebrato Salmanticae.

adiunguntur alia documenta *authentica* legislativa, sicut interpretationes authenticae.

Agitur enim de detegendo quid tamquam ius statutum sit et contineatur in his textibus quibus legislator manifestavit suam voluntatem legiferam [3].

Praeprimis interpres debet Codicem seu textus legum inspicere et ab ipsis procedere ratiocinando et deducendo, ductus normis interpretationis, quae in Codice imponuntur aut in scientia iuridica proponuntur. Ab hac via, magis scientifica, magis naturae interpretationis concordi, magis obiectiva et ideo magis tuta et secura deflectunt illi auctores qui in interpretando iure statim recurrunt ad doctrinam auctorum privatorum. In nostra quaestione tractanda plures canonistae, inter quos Michiels et Cicognani-Staffa, hoc faciunt. Non incipiunt a textu Codicis, sed a sententiis auctorum. Non afferunt praeprimis verba canonum, qui de hac materia agunt, canonum scilicet 94 et 201 neque ea explicant neque eorum sensum determinant, sed statim afferunt sententias, in casu duas, et incipiunt rationes quaerere quibus unam sententiam probare possunt saltem ut probabilem. Hoc facto concludunt: haec sententia nobis videtur probabilis et in praxi tuta. A. v. proprie declarant quaestionem solvi non posse: doctrinam remanere dubiam.

Haec methodus videtur reprobanda. Quia 1) non est vere scientifica, nam non tendit ad dirimendam quaestionem: quid sit ius Codice statutum; 2) nititur elementis subiectivis et sic facile ducit ad errores: est proprie causa tot incertitudinum et tot dubiorum in doctrina iuridica quae numquam dissipantur; 3) praeeligit viam minus tutam, relicta alia vere scientifica et natura scientiae iuridicae indicata.

Nos in perficienda interpretatione nostra incipemus procidendo ex *ipso textu Codicis* et praeprimis *ex illis canonibus*, qui proprie hanc materiam seu extensionem iurisdictionis superioribus territorialibus concessae regunt, ex canonibus scilicet 201 et 94.

In casu dubii iuris, quod est dubium *subiectivum*, i. e. in casu quo non obiectivis rationibus demonstratur « ipsa verba legis esse in se incerta » (can. 17), a. v. in casu in quo nullatenus constat haberi dubium quod ulteriori labore mediis interpretationibus solvi nequit, officium primarium canonistae non est hoc dubium notare et illud amplecti ut principium agendi; sed laborare ut dubium dissipetur.

---

[3] In opera interpretationis enim agitur de voluntate legislatoris non quacumque, sed *manifestata*; neque manifestata quocumque modo, sed manifestata *ipso legis textu*, considerato etiam in suo contextu et in sua relatione cum toto complexu legislativo cuius est pars. Quapropter idem est quaerere voluntatem legisla-

I

DOCTRINA CODICIS

Ad recte et tute statuendum ius Codice contentum non debemus praeprimis quaerere: utrum Codex aliquam sententiam non excludat [5], sed quaerere quid Codex positive statuat.

Pro materia nostra doctrina generalis invenitur in canonibus 201 et 94. Ex his canonibus, demonstratione valde brevi, simplici, limpida et minime complicata, demonstratione proinde quae tota simul se offert conspectui critico, ita ut periculum desit aliquid non videndi, probari potest Codicem hoc statuere: norma *generalis* est quod potestas dispensandi exerceri nequit erga peregrinos [6]. En demonstratio:

Codex canone 201 § 1 expresse dicit: potestas iurisdictionis potest in solos subditos directe exerceri. Atqui: potestas dispensandi est potestas iurisdictionis (voluntariae nuncupatae). Ergo etiam potestas dispensandi exerceri potest in solos subditos.

Canone autem 94 § 1 declarat: subditi alicuius superioris qui regit territorium seu qui regit coetum hominum determinatorum mediante territorio, ipsi designato tamquam suo, sunt ii, qui domicilium vel quasi-domicilium habent in territorio huius superioris. Haec est norma generalis, quae proinde applicari debet, nisi ipse legislator pro aliqua speciali parte potestatis dispensandi, puta pro potestate dispensandi a lege abstinentiae, alios tamquam subditos designet [7].

---

toris et quaerere sensum textus legis. Vide quae circa hanc rem dicta sunt a me et a Michiels in memorato congressu Salmanticensi.

[5] Sicut facit Michiels in tractanta nostra quaestione. Vide: Normae generales II, Cap. III, art. I (ed. 2, p. 727).

[6] Norma generalis non est norma quae nullam admittit exceptionem in tota materia quam respicit, sed est norma quae viget pro tota materia quam respicit, exceptis partibus pro quibus aliud iure expresse statuatur. Exemplum est norma canonis 199 § 1 pro delegatione potestatis ordinariae.

[7] Norma « potestas iurisdictionis directe exerceri potest in solos subditos » est regula iuris naturalis et non iuris positivi. Sequitur enim *ex sola natura* iurisdictionis, utpote potestatis. Potestas natura sua exerceri non potest nisi erga subditos illius qui tamquam superior habet potestatem.

Quapropter legislator qui statuit Ordinarium loci posse dispensare a lege abstinentiae peregrinos in suo territorio commorantes, non concedit Ordinario potestatem dispensandi personas sibi non subditas, sed statuit relate ad hanc specialem potestatem dispensandi subditos Ordinarii esse non tantum incolas et advenas, sed etiam peregrinos actu in territorio commorantes, a. v. non tantum personas quae *in omnibus et generaliter* sunt Ordinarii subditi, sed etiam eas, qui vi huius statuti specialis sunt eius subditi in hac speciali materia. Canon 1245 et similes in quantum agunt de peregrinis non sunt exceptionem ad canonem 201 § 1, sed ad canonem 94.

Sane, haec regula generalis non excludit ut aliquo speciali legis statuto pro aliqua speciali Ordinarii loci aut parochi potestate designentur etiam aliae personae tamquam subditi relate ad huius potestatis actus, e. g. personae quae actu tantum commorantur in territorio. Regula autem generalis, canone 94 statuta, est: subditi sunt ii, qui in territorio domicilium aut quasi-domicilium habent. Insuper vagi, qui in territorio actu commorantur.

Canone iste 94 habet sensum *determinativum*, non mere *indicativum*. Sensus eius non est: factum domicilii vel quasi-domicilii in territorio est *unum ex multis* factis, quibus aliquis fit subditus quoad totam potestatem superioris territorialis; *sed dantur etiam alia facta quae eundem habent effectum generalem.* Sensus est: *solum* factum domicilii vel quasi-domicilii est factum, quo aliquis simpliciter et quoad totam potestatem ipsi competentem fit subditus alicuius Ordinarii loci vel parochi. Exceptiones haberi possunt, sive extendentes sive restringentes coetum subditorum pro specialibus casibus, sed solus ipse legislator potest eas statuere; derogant enim huic normae generali Codice statutae. Huiusmodi normae exceptionales contineri debent aut in Codice aut in alio documento authentico legislativo; secus non vigent.

Haec canonis 94 interpretatio nititur verbis legis in se claris. Omnes commentatores normam sic intelligunt et ei tribuunt sensum exclusivum, in quantum canon statuit *normam generalem.* Ad quaestionem: « qui in generali reguntur potestate Ordinarii loci »? omnes respondent: illi, qui domicilium aut quasi-domicilium habent in territorio huius Ordinarii (et vagi actu commorantes); alii autem non, nisi in alio canone aliud statutum habeatur. Nullus canonista respondebit: ex c. 94 apparet quod saltem ii, qui domicilium (vel quasi-d) habent in eius territorio reguntur potestate quacumque Ordinarii loci; de aliis nihil scimus, quia can. 94 non habet sensum determinativum seu exclusivum; non dicit: « *solummodo* ii, qui domicilium habent ».

Qui admitteret canonem 94 § 1 non habere sensum exclusivum in quantum est norma generalis, destrueret fundamentum quo nititur doctrina peregrinos esse in generali seu salvis exceptionibus iure statutis exclusos a potestate iurisdictionis Ordinarii loci ubi actu commorantur, e. g. a potestate qua Ordinarius dare potest praecepta particularia in quacumque materia.

Conclusio: Codex expresse statuit, potestatem iurisdictionis, ad quam pertinet potestas dispensandi, *in generali* exerceri non posse nisi erga personas quae domicilium vel quasi domicilium habent in territorio superioris dispensantis; non erga peregrinos.

Minoris momenti est quaestio: utrum Codex hanc iuris dispositionem quam statuit *expresse*, statuerit *explicite* an solummodo

implicite. Mihi respondendum esse videtur: *explicite.* Vi verborum simul sumptorum: « in *solos* subditos » et « subditi sunt incolae et advenae ». Sed etiam si admittamus Codicem implicite hanc doctrinam statuere, ius remanet idem et aeque certum (cfr. can. 6, n. 6).

Notare adhuc nos iuvat haec. Qui perhibet potestatem dispensandi sub iure Codicis exerceri posse erga peregrinos, debet aut admittere peregrinos esse simpliciter subditos superioris loci ubi actu commorantur et consequenter canonem 201, §. 1. statuere quamlibet potestatem iurisdictionis in genere exerceri posse erga omnes in territorio degentes, etiam erga peregrinos, aut admittere potestatem dispensandi non contineri sub potestate de qua agit can. 201, §. 1.

Illud evidenter falsum est. Nemo admittit peregrinos quoad omnia subdi potestati Ordinarii loci ubi commorantur. E contra omnes hoc negant. Tolleretur etiam differentia quoad subiectionem inter peregrinos et vagos, quam canones expresse admittunt.

Hoc autem apparet falsum ex toto complexu paragraphorum quibus canon 201 constat. § 1 agit de potestate iurisdictionis *qualibet* seu *absque distinctione.* Duae paragraphi sequentes agunt de potestate iurisdictionis in quantum est distincta in potestatem iudicialem et potestatem voluntariam. De hac ultima, ad quam pertinet potestas dispensandi, agit § 3, sed non exclusive relate ad § 1. (Exclusive solum relate ad § 2). [8]. Quapropter optime haec § 3 de potestate voluntaria quaedam statuit, quae exclusive valent de potestate illa voluntaria et non de potestate iudiciali; scilicet: exerceri potest 1) in proprium commodum; 2) a superiore extra territorium existente; 3) in subditum e territorio absentem. Quare autem haec § 3 non dicit etiam: erga peregrinos vel erga omnes in territorio actu commorantes? Res elucet ex ipso textu et compositione canonis totius. Circa hoc canon nihil dicit, quia circa hoc nolit statuere aliquid speciale, sed vult ut vigeat norma de exercitio iurisdictionis *in genere* seu absque distinctione quam supponunt § 2 et 3: Haec norma habetur in § 1.

Si legislator voluisset extendere exercitium potestatis dispensandi superiorum territorialium ad peregrinos, debuisset (opus facile, ad quod, ardente controversia de qua mox dicendum, non attendere certe non potuit) vel ad § 3 adiungere verba: « aut, si de potestate agatur dispensandi, in omnes actu in territorio commo-

---

[8] Potestas voluntaria igitur regitur tam § 1 quam § 3 huius canonis 201.

rantes », vel adiungere aliam paragraphum (scilicet quartam): « potestas dispensandi etiam exerceri potest erga peregrinos » [9].

Cum nihil horum fecerit, ius Codice contentum est illud quod expresse continetur in c. 201 § 1 et c. 94: potestas dispensandi exerceri potest in peregrinos, nisi in casibus specialibus hoc concedatur expresse.

Eadem interpretatio, qua scilicet verbis canonis 94 tribuitur sensus exclusivus, requiritur ne aliorum canonum verba destituantur sensu rationabili; sensu, quem omnes canonistae iis tribuunt, non exceptis canonistis qui sententiam in favorem peregrinorum tenent.

Duo habentur canones, qui in discussionibus circa nostram quaestionem citari solent, scilicet can. 990 et can. 1402 § 1. In illo datur Ordinario loci potestas dispensandi ab irregularitate; in isto potestas dandi licentiam legendi libros prohibitos; in utroque casu: *erga proprios subditos*. Haec verba nequeunt alium habere sensum nisi: solos subditos ratione domicilii vel quasi domicilii. Omnes canonistae haec verba sic explicant. Imo, fautores sententiae quae potestatem dispensandi Ordinariorum locorum extendit ad peregrinos, hos canones adducere solent tamquam exempla canonum, in quibus per modum exceptionis contrarium expresse statuatur.

Attamen, si canon 94 non habeat sensum exclusivum, prout contendunt adversarii nostri, a. v. si aliquis fiat, saltem quoad potestatem dispensandi, subditus Ordinarii loci non tantum domicilio vel quasidomicilio, sed etiam aliis factis (titulis, ut ait Michiels, secundariis), verba « proprios subditos » in can. 990 et can 1402, § 1. non indicant solos domicilium vel quasidomicilium habentes, sed etiam alios e. g. omnes in territorio commorantes et forsitan adhuc alios, e. g. Ordinandos ab hoc Episcopo etsi ad aliam diocesim pertinentes, sed a Vicario Capitulari missos ad hunc episcopum ad recipiendum Ordinem sacrum. Non datur alia possibilitas interpretandi verba canonum 990 et 1402 in sensu, in quo omnes ea interpretantur, nisi admittendo quod canon 94 agit *exclusive* de iis, qui domicilium vel quasidomicilium habent. Qui negat sensum exclusivum can. 94, ipso hoc facto non excludit peregrinos e subditis Ordinariorum: qui autem eos non excludit, non potest deinde ratiociare:

---

[9] Ille seu prior modus magis videtur canonis structurae locicae conformis. Nam tunc retinetur divisio simplex et limpida:

§. 1. de qualibet iurisdictione absque distinctione.

§. 2. de iurisdictione iudiciali.

§. 3. de iurisdictione voluntaria: regula generalis cum norma speciali de potestate dispensandi.

Codex in can. 990 et 1402 excludit peregrinos, quia explicite dicit *proprios subditos*. Nam peregrini tunc non excluduntur *e coetu propriorum subditorum*.

Sic apparet totum systema Codicis exigere ut canonem 94 interpretemur in sensu exclusivo, quo e propriis subditis excluduntur peregrini; quo subditi sunt *solummodo* domicilium et quasdomicilium habentes, quamvis canon non habeat verbum: solummodo. Hoc verbum esset superfluum.

Postquam hanc doctrinam ab ipsis Iuris textibus solidis argumentis deduximus, per modum corollarii et confirmationis, et etiam ad culturam scientiae iuridicae circa hanc quaestionem ampliandam, utiliter quaedam notare nos iuvat de controversia ante Codicem ardente. Ante Codicem tres habebantur sententiae.

1. Potestas dispensandi exerceri potest erga solas personas, quae domicilium habent in territorio superioris dispensantis.

2. Potestas dispensandi exerceri potest erga solas personas, quae domicilium aut quasi-domicilium habent in territorio dispensantis.

3. Potestas dispensandi exerceri potest erga hos omnes et erga peregrinos in territorio actu commorantes.

Referens has sententias Michiels dicit sententiam secundam seu quae excludit peregrinos et includit advenas seu quasi-domicilium habentes, fuisse, praecipue apud recentiores, communiorem. S. Alphonsus autem iam suo tempore eam vocat communissimam.

Quaerenti utrum Codex aliquid contineat, quo apparet legislatorem voluisse controversiam dirimere in quantum respicit normam generalem pro usu potestatis dispensandi valentem, debemus responsionem dare quae fundatur *in textibus canonum*. Tunc apparet quod Codex *de potestate* dispensandi *in specie* considerata nihil habet, quo appareret voluisse dirimere controversiam. In titulo VI libri I: *De Dispensationibus*, Codex omnino tacet de subiecto passivo dispensationis. Res sane difficulter intelligenda, si legislator habuisset voluntatem ut in hac re *alia* vigeret regula generalis quam quae viget pro qualibet potestate iurisdictionis, etiam voluntariae [10].

Relate ad controversiam in quantum respicit quasi-domicilium habentes Codex explicitis verbis dirimit quaestionem et statuit quod quoad *omnia*, ideoque quoad exercitium *totius* potestatis iurisdictionis, ipsi sunt subditi Ordinarii loci et parochi, sicut domicilium habentes. Cum potestas dispensandi comprehendatur sub potestate

---

[10] Si unquam, tunc hic merito applicatur regula iuris: legislator quod voluit, dixit, quod tacuit noluit. Tacuit seu non dixit potestatem dispensandi exerceri posse erga peregrinos seu erga personas quae non sunt subditi ratione normae generalis de qua in c. 94 neque ratione dispositionis specialis in aliqno speciali canone. Ergo noluit hanc extensionem.

iurisdictionis, quaestio de eius extensione ad quasi-domicilium habentes hodie est dirempta.

Haec autem respiciunt tantummodo quasi-domicilium habentes, non peregrinos. Ad quaestionem de peregrinis quod attinet Codex nihil habet quo appareret legislatorem voluisse eam dirimere *in favorem peregrinorum;* neque explicite neque implicite aliquid in hunc sensum declaratur. E contra Codex plura habet quibus apparet legislatorem consecrasse doctrinam contrariam, a. v. illam quam nos propugnamus esse ius vigens. Sunt omnia quae supra adduximus ad probandam nostram doctrinam seu omnia quae habentur in can. 201 et 94 [11].

Sapiens iurisperitus vix mirari potest de hac re. Agitur enim de doctrina, quam S. Alphonsus iam tempore suo dicit *communissimam;* de qua Michiels (certe in hac re non suspectus, cum dictum suum vertitur in favorem sententiae quam ipse non admittit) scribit eam *praesertim apud recentiores* factam fuisse communiorem; ergo plus adhuc receptam quam tempore S. Alphonsi. Ergo tempore Codicis conficiendi in scientia canonica vigebat tendentia reddendi hanc sententiam, iam communissimam, semper magis communem. Quid mirum si legislator hanc doctrinam Codice statuit ut ius vigens, canonibus scilicet 201 et 94?

COROLLARIUM

Apud auctores, qui nostram tenent sententiam, non raro invenitur argumentum: si potestas dispensandi generaliter se extenderet ad peregrinos, in pluribus canonibus inutiliter haberentur verba quibus statuitur potestatem dispensandi specialem tali canone concessam exerceri posse etiam erga peregrinos. Sunt verba « etiam peregrinos » (cann. 1245; 1313), aut « omnes in proprio territorio actu commorantes » (c. 1043).

Merito adversarii nostrae sententiae notare solent hoc argumentum nihil probare. Notissimum enim est canones non raro continere verba, quae non necessaria sunt ut statuatur ius quod canone conditur; ita ut omissio istorum verborum non mutaret ius canone contentum. Ex hoc tamen non sequitur verba esse *inutiliter* inserta.

---

[11] Ipsa natura seu materia quaestionnm dirimendarum exigit diversos modos dirimendi. Qui dirimere vult in favorem sententiam *affirmantem*, debet affirmare seu expresse statuere aliquid. Qui e contra quaestionem vult dirimere in favorem sententiae *negantem*, potest quidem negare sed non tenetur. Potest etiam *tacere*, statuens positive qui sint subditi superioris dispensantis et personas, de quibus agit controversia, inter eos non enumerare. Sic Codex diremit quaestionem de dispensatione pegegrinorum.

Nam huismodi verba iam sunt utilia, quia sunt *ad maiorem claritatem* inserta.

Proprie in canonibus, qui in hac nostra discussione adduci solent, plura huiusmodi verba pure declarativa habentur, e. g. in can. 1043: « proprios subditos *ubique commorantes* ». Verba a nobis sublineata nihil efficiunt ad ius condendum; addita sunt ad maiorem claritatem. Idem dicendum est de verbis canonis 1245, § 1: *etiam extra territorium*. Ius quod referunt iam statutum habetur vi normae generalis can. 201 § 3 statutae.

Quare solum factum quod legislator in pluribus canonibus adiunxit verba « etiam peregrinos » vel similia verba, non praebet argumentum ad probandam nostram sententiam. Quapropter hoc argumentum omisimus. Qui adducere potest argumentum bonum vel plura argumenta bona nocet rei propriae si addat argumentum falsum.

II.

DE SENTENTIA CONTRARIA ET RATIONIBUS PRO EA ADDUCTIS

Probatio positiva e textu Codicis est etiam principalis ratio, qua doctrina contraria probatur erronea. Attamen, ad convincendos huius sententiae fautores et progressui scientiae iuridicae favendum utillimum est demonstrare sententiam hanc niti rationibus falsis. Propterea nunc de hisce rationibus est critice agendum.

STATUS DOCTRINAE TEMPORE HODIERNO

Propria investigatione pro posse magis completum reddere conatus sum conspectum, quem Michiels et alii exhibent de statu scientiae canonicae circa nostram quaestionem. Exitus huius investigationis tribus numeris compendiose exponere possumus.

I. Multi sunt canonistae qui tenent potestatem dispensandi *in generali* exerceri non posse erga peregrinos, ideoque hanc potestatem tunc tantum exerceri posse erga peregrinos, si hoc expresse iure caveatur pro aliqua speciali potestate dispensandi, ut fit in cann. 1043; 1245; 1313. Dantur alii, qui tenent potestatem dispensandi in generali exerceri posse erga peregrinos. Hi autem sunt *numero minores* illis. Auctores qui nostram propugnant sententiam sunt:

A. v. Hove (De disp. n. 433) [12], Wernz-Vidal (Ius Matrim. n.

---

[12] V. d. Hove sententiam nostram vocat veriorem sub iure Codicis. Sufficienter clare manifestat eam esse sententiam suam. Addit tamen quod fateri debet haud

423, nota 29), Vlaming (praelectiones Iuris Matrim; ed. 3, n. 405), De Smet (De Spons. et Matrim, ed. 4. n. 774), Chelodi-Ciprotti (De personis, n. 87), Oietti (I, p. 329), Matthaeus a Coronata (I, 113), Haring (I³ p. 84), Eichmann (I⁴, p. 101); Berutti (I, p. 171), Triebs, Dauville, Vindex, Kinane, Vromant (Normae Gen. n. 199); Aertnys Damen (Theol. Mor. I, n. 194), Prümmer (Theol. Mor. I, n. 248), Bertagualli (Ius. de Personis, n. 87).

Auctores qui sententiam in favorem peregrinorum propugnant sunt Michiels (Normae generales², p. 727), Cocognai-Staffa (II. p. 608), Maroto (Instit. I, n. 305); Claes Bouuaert-Simenon. (Man³ I. n. 233), D'Angelo (in Apollinaris I (1928), p. 255); Cappello (Summa Iur. Can. n. 130), Romani (Instit. I. n. 212); Adloff, Regatillo; Reilly; Christ. Michiels et Cicognani inter eos etiam nominant Vermeersch-Creusen (I. n. 198) In loco citato autem legimus: « Probati auctores contra alios severiores tenent... ». Auctores ipsi non manifestant propriam sententiam neque afferunt et approbant rationes, quibus illi probati auctores probant eorum sententiam. Ex auctoribus citatis plures nullam afferunt rationem.

II. Datur notabilis differentia inter modum quo illi et quo isti propriam admittunt sententiam. Qui tenent sententiam nostram, eam docent et propugnant *ut certam*, tamquam *in Codice certo contentam*, scil. cann. 201 et 94 simul sumptis. Canonistae autem qui sententiam tenent in favorem peregrinorum eam nonnisi ut *probabilem* aut in *praxi tutam* proponunt, a. v. ut dubiam. Ipsi nullatenus habent certitudinem scientificam.

III. Rationes quas ii afferunt qui nostram tenent sententiam sunt eaedem apud omnes. Omnes unam afferunt rationem principalem, brevem et concisam, quae nititur in textu canonum, scilicet, 201 et 94. Pauci addunt aliam rationem aut confirmationem, sed ratio principalis est eadem apud omnes.

Apud eos autem qui sententiam contrariam docent, saepe deset quaelibet ratio; dicunt, quin probent, suam sententiam esse probabilem. Ii autem qui sententiam probare conantur, proferunt argumentationes prolixas et confusas, alii alias adducunt rationes (uti videre potest lector inspiciens tractatus Michiels et Cicognani-Staffa eosque comparando).

Haec omnia quidem non iam probant sententiam in favorem peregrinorum esse falsam, sed tamen gravem excitant contra veritatem huius sententiae suspicionem.

Perlegendo multos auctores statuere potui quod duo, scilicet Michiels et Cicognani, pressius laboraverunt ad probandam sen-

---

paucos tenere sententiam contrariam. Aliqua eorum argumenta refert; sed ea critice probare omittit.

tentiam in favorem peregrinorum. Apud alios nullam inveni rationem quae non habentur sive apud Michiels sive apud Cicognani. Quapropter ad refutandas rationes quae in favorem huius sententiae afferuntur, sufficit nobis referre rationes quas hi duo auctores collegerunt et attulerunt; paucis praemissis de modo procedendi aliquorum aliorum.

Cappello in Summa Iuris Canonici (n. 130) docet sententiam in favorem peregrinorum. Ipse autem in duobus numeris immediate subsequentibus docet res aperte contradictorias. In n. 129 scribit: « dispensatio est actus iurisdictionis ideoque *regula generalis* est ut subditis tantum dari possit. Quisque efficitur subditus ratione domicilii vel quasi-domicilii (c. 94, § 1) ». In n. 130 autem scribit: « Potestas Ordinarii et parochi est ordinaria. Itaque Ordinarii locorum possunt in foro tam interno quam externo dispensare in praefatis casibus (n. 125) omnes subditos... vagos et peregrinos seu omnes actu in territorio suo commorantes ». Verba « in praefatis casibus (n. 125) » significant « in casibus in quibus habent potestatem dispensandi ». Nemo non videt apertam et gravissimam contradictionem. Regula *generalis* pro potestate dispensandi est ut dispensare possunt tantum subditos, et subditus aliquis fit domicilio vel quasi-domicilio; ideoque non ratione solius commorationis in territorio. Et: si habeant potestatem dispensandi, eam *generaliter* exercere possunt etiam erga peregrinos seu erga personas quae nullum habent domicilium vel quasi-domicilium in territorio [13].

Unam solam rationem Cappello affert ad probandam sententiam quae omnino destruit regulam generalem prius optime propositam scilicet: Codex in pluribus rebus mitiorem inducit disciplinam. Sed hoc nullatenus probat sententiam. Ad hoc requiritur ut probetur et demonstretur Codicem *in hac re* induxisse disciplinam mitiorem. Argumentum quod Capello hic profert, sua generalitate idoneum est ad probandam quamlibet sententiam in praxi commodam, et facile ducit ad sententias quae non continent ius, sed iuris corruptelam.

Alius canonista cuius auctoritas invocatur ad statuendam probalitatem sententiae in favorem peregrinorum, est S. d'Angelo, propter articulum quem publici iuris fecit in Apollinaris I (1928), p. 256. Agens de quaestione speciali: « utrum potestas concessa canone 1045 exerceri possit erga peregrinos » in initio sui articuli

---

[13] Valor ratiocinationis: « est potestas *ordinaria* ... itaque Ordinarii locorum possunt ... dispensare omnes subditos ... *et peregrinos* seu omnes in territorio suo commorantes », me prorsus evadit. Numquam inveni sive in Codice sive apud canonistas normam vel doctrinam; potestatem ordinariam Ordinarii loci exercere possunt erga omnes in territorio commorantes!

declarat: « quaestio latius patet ac pro solis impedimentis, cum se referat ad generalem extensionem potestatis dispendandi, in qua admittimus principium cl. Maroto circa subiecta dispensationis: sunt, ipse ait, omnes qui aliquo modo subditi sunt iurisdictioni dispensantis ».

Hic modus solvendi quaestiones valde distat a methodo scientifica et in scientia canonica requisita. Nam:

1. Id de quo in scientia iuridica agitur est: utrum aliquod ius sit Codice statutum necne? Minime, utrum aliquis auctor privatus admittere velit principium a Maroto propositum. Hoc pro scientia iuris fere nullum habet momentum. Nam alius auctor privatus, e. g. ego, eodem iure et eadem vi verborum, declarare possum: « in hac quaestione non admitto sed reiicio principium a cl. Maroto... etc. ». Id quod D'Angelo facere debuisset non erat declarare quid tenere cupit, sed probare principium admissum esse verum, quia nititur et deducitur solidis argumentis e textibus Codicis. Hoc nullatenus fecit et etiam Maroto hoc prorsus omisit in suo libro. Quapropter articulus ipsius d'Angelo nullum habet valorem pro scientia et iuris cognitione ad nostram quaestionem quod attinet.

2. Insuper verba Maroto a d'Angelo allata, scilicet: « qui *aliquo modo saltem* subditi sunt », sunt valde vaga. Quis est: aliquo saltem modo subditus? Caius, qui inire cupit matrimonium cum Titia, et qui neque domicilium aut quasi-domicilium habet in territorio Ordinarii proprii Titiae neque in eo commoratur, est *aliquo modo* subditus Ordinarii huius, scilicet indirecte, ratione matrimonii ineundi cum Titia. Propter hoc Ordinarius ipsum indirecte dispensare potest ab impedimento consanguinitatis, qua tenetur erga Titiam. Nemo tamen unquam teneret Ordinarium istum posse dispensare Caium a lege ieiunii, appellans ad principium a Maroto positum et a d'Angelo electum: « est *aliquo modo* subditus; ergo Ordinarius eum dispensare potest generaliter ». Etiam Maroto et d'Angelo notarent: Verum est; quia Caius ratione huius facti subiectum tantum est in re matrimoniali. Qui est subditus aliquo modo vel aliquo titulo, e. g. titulo matrimonii ineundi, non est adhuc subditus *in omnibus materiis seu titulo generali.* Optime, propterea subiectio *aliquo modo* non sufficit ut Ordinarius vel parochus possit *totam* potestatem dispensandi quam habent, exercere erga peregrinos.

Transeamus ad duos auctores in hac discussione principales.

G. Michiels in suo notissimo opere « Normae Generales » (ed. 2, Vol. II, p. 727 seqq), ex professo agens de dispensationibus, fusius disserit de nostra quaestione, propugnans sententiam in favorem peregrinorum. Tam circa modum quo disposuit totum tractatum quam circa valorem rationum adductarum plura sunt

dicenda quibus apparebit haec omnia nullatenus sufficere ad sententiam probandam, ne ut probabilem quidem.

Michiels suum tractatum de subiecto passivo potestatis dispensandi incipit distinguens plures titulos subiectionis. Praeprimis distinguit dispensationem concedendam in foro *interno* sive sacramentali sive extra-sacramentali et dispensationem concedendam in foro *externo*, et docet titulum subiectionis in toto foro interno esse *characterem poenitentis* illius erga quem potestas exercetur; in foro externo vigent alii tituli. Quare, secundum Michiels, in foro interno sacramentali titulus subiectionis in ordine ad dispensandum est actualis poenitentis accessus ad tribunal poenitentiae dispensantis; in foro interno extra-sacramentali vero possibilitas ut persona dispensanda hic et nunc apud dispensantem instituat confessionem sacramentalem. Non probat hanc doctrinam; sed remittit ad Cappello.

Haec doctrina in quantum respicit dispensationem in foro interno extra-sacramentali, est prorsus erronea. Nos canonistae omnes scimus potestatem dispensandi in foro interno extra-sacramentali nullatenus exerceri erga personam *ut poenitentem* et nullam habere relationem cum potestate audiendi confessionem huius personae. In foro interno non sacramentali dari solent multae dispensationes in materiis, quae non sunt obiectum poenitentiae (neque virtutis neque sacramenti poenitentiae). Votum privatum occultum; impedimentum occultum consanguinitatis vel affinitatis ortae ex *aliorum* actu peccaminoso (puta, ex adulterio vel ex fornicatione genitoris vel avi alterutrius nupturientium) non sunt facta de quibus aliquis petens dispensationem *poenitere* debet vel potest. Nemo debet poenitere de voto recte emisso etiamsi nunc propter graves rationes rationabiliter petat dispensationem; neque quis poenitere debet de peccatis [14] aliorum ex quibus orta est relatio quae impedit matrimonium quod inire cupit. Est mere per accidens, si materia dispensationis in foro *extra-sacramentali* concedendae sit simul materia poenitentiae et conferat personae dispensandae characterem poenitentis. Haec igitur doctrina quam, ni fallor, Michiels a Cappello deprompsit quin eam critice probaverit, est reiicienda. Divisio tractatus de subiecto passivo dispensationis, si quis hunc tractatum dividere velit secundum distinctionem titulorum subiectionis, fieri debet sic: A) in foro interno sacramentali titulus subiectionis est actualis accessus ad tribunal poenitentiae dispensantis. B) In foro interno extra-sacramentali et in foro externo habentur alii tituli,

---

[14] Minus adhuc de aliorum peccatorum *effectibus* e. g. de impedimentis consanguinitatis aut affinitatis, quae sunt materia dispensationis, sed nullatenus aliquid malum morale de quo esset poenitendum.

e. g. domicilium in territorio dispensantis; professio religiosa relate ad superiores religiosos.

Hi autem alii tituli quos Michiels adducit ut titulos subiectionis in foro externo, ipse distinguit in titulos *primarios* et titulos *secundarios*. Etsi haec distinctio titulorum non dici possit vere falsa, ipsa tamen est a Codice eiusque systemate aliena. Codex potius commendat aliam distinctionem, scilicet « tituli *generales* et tituli *speciales* », prout exposuimus in nostro articulo in *Monitor Eccl.* (1953, fasc. IV). Tituli generales in Codice sunt domicilium vel quasi-domicilium relate ad superiores territorium regentes; professio religiosa relate ad superiores religiosos exemptos. Huiusmodi titulo generali persona redditur subiecta determinato superiori quoad *totam* potestatem suam exercendam (nisi pro aliqua parte huius potestatis aliud expresse iure caveatur). Titulus specialis reddit personam subditam alicuius viri potestatem habentis quoad aliquem determinatum actum vel determinatam speciem actuum potestatis, e. g. quoad dispensationem a lege ieiunii; a voto privato. Exemplum huiusmodi tituli *specialis* est actualis commoratio in territorio superioris territorialis quoad potestatem dispendandi *specialem*, de qua agunt canones 1043, 1245, 1313. Haec et non illa distinctio (Michiels) habet fundamentum in Codice. Qui ut Michiels et alii illam tantum ponit, iam aliqualiter negligit elementum utile ad recte interpretandum Codicem et adiumentum ad non deviandum a veritate.

Deinde directe aggrediens quaestionem nostram Michiels omittit procedere secundum methodum sanam et tutam, quam ipse optime docuit lectores suos in prioribus partibus sui operis de legum interpretatione. Ipse scilicet omittit procedere a textibus canonum qui de exercitio potestatis iurisdictionis agunt (201), sed statim proponit duas sententias auctorum privatorum et ab ipsis incipit. Eligit nempe unam et deinde conatur recolere in Codice et alibi quaedam, quae in favorem huius sententiae adduci possunt. Et haec sententia non proprie probatur vera, sed tantum probabilis aut tuta in praxi, a. v. dubia.

Iurisperiti officium est rationes quas auctor in favorem suae sententiae affert, critice probare. Sunt istae:

1. « Imprimis nullus in Codice invenitur textus, in quo explicite vel implicite continetur affirmatio positiva, factum commorationis actualis in territorio alieno per se solum numquam constituere sufficientem titulum iuridicum ut quis ad dispensationem obtinendam fiat eiusdem territorii subditus. Immerito in contrarium invocatur canon 94 § 1, quippe cum ibidem nullatenus statuatur quemque quoad quoslibet effectus iuridicos *solummodo* per domicilium vel quasi-domicilium eorundem fieri subditum ».

Ad hoc notandum est:

a) Codex non potest positive (implicite vel explicite) affirmare factum commorationis... *per se solum numquam* constituere sufficientem titulum subiectionis. Nam aliquando ex alicuius canonis statuto (1043, 1245, 1313) pro aliqua speciali potestate actualis commoratio *sola* est titulus sufficiens subiectionis. Affirmatio quam Michiels exigit, esset falsa.

b) Ut aliquis superior sub regimine Codicis possit exercere suam potestatem iurisdictionis erga aliquam personam, non sufficit ut Codex *non positive excludat* hanc personam e coetu suorum subditorum. Regula, qua nititur ratio a Michiels allata est: quilibet superior potest potestatem suam exercere erga omnes, qui non *positiva* affirmatione excluduntur a sua potestate. Sed haec regula est prorsus inaudita in iure et in iuris scientia. Iure Codicis viget regula contraria. Ut aliquis superior possit exercere suam potestatem erga Titium, requiritur ut positive (etsi forsitan implicite) *statuatur* Titium, sive generaliter, sive specialiter quoad hanc specialem potestatem, esse subditum superioris exercentis potestatem.

c) Deinde neganda est ipsa assertio. Codex, etsi non explicitis verbis — quod fere numquam facit et inutiliter faceret — tamen implicite statuit potestatem iurisdictionis et consequenter potestatem dispensandi exerceri posse in solos subditos, et in generali subditos Ordinariorum locorum esse eos, qui domicilium vel quasi-domicilium habent in eorum territorio. Ergo peregrini non comprehenduntur inter subditos in generali seu quoad totam potestatem, et sunt subditi solummodo si hoc pro aliqua speciali parte potestatis iure statuatur. Hoc iam demonstravimus in prima huius articuli parte, probantes sensum canonis 94 esse talem ut subditi declarentur soli (quasi-)domicilium habentes et alii per contrarium excludantur. Ratiocinari e solo facto quod canon non dicit « solummodo », non est rectus modus interpretandi leges. Sequeretur quod canones numquam habernt sensum exclusivum nisi adhiberent verbum « solummodo », et subverteretur regula iuris: « legislator quod voluit dixit, quod noluit tacuit ».

Secundam rationem Michiels deducit e canone 14. Est haec. « Potestas ista (scilicet dispensandi etiam peregrinos) indubie contineri videtur tamquam logica consequentia in principiis positivis in c. 14 § 1. n. 2 et 3 statutis. Vi horum canonum sane haud dubium est quod peregrini ratione actualis commorationis in territorio alieno huius territorii subditi fiunt quoad observantiam legum generalium in territorio isto vigentium necnon legum particularium ordini publico consulentium; quod cum ita sit logice quoque videtur admittendum, eos ratione commorationis istius itidem eiusdem ter-

ritorii subditos fieri quoad ea, quae observantiam (harum legum) consequuntur, ut sunt sanctio poenalis et, ob rationem contrariam, dispensatio ».

Haec autem ratio in pluribus fallit.

a) Praeprimis animadvertere debemus quod modus loquendi improprius et inexactus semper aliquod continet periculum erroris et auto-deceptionis. Auctor loquitur de « subditi huius *territorii* ». Sed proprie et exacte loquendo persona non fit subditus territorii, sed subditus superioris regentis territorium potestate sua [15]. Hic modus loquendi improprius proprie in quaestione agitata aperuit viam quae duxit ad errorem. Verum sane est quod peregrinus vi actualis commorationis tenetur servare leges generales, quae vigent *in hoc territorio*. Ex hoc sequitur quod est subditus improprie loquendo huius territorii, proprie loquendo superioris qui regit hoc territorium. De quo tunc superiore agitur? De Ordinario loci? Minime. Quilibet canonista scit leges *generales* quae vigent in aliquo territorio, non condi ab Ordinario loci, sed a Summo Pontifice. Quodlibet territorium dioecesanum regitur a *duobus* superioribus: a Summo Pontifice et ab Ordinario loci. Si evitemus modum loquendi improprium et inexactum: subditus *territorii;* et dicamus exacte « subditus *regentis* territorium », facilius attendimus ad hoc quod duae subiectiones sunt considerandae. Territorium est quidem unum, sed superiores illud regentes sunt duo. Et cum agitur de legibus generalibus agitur de illo superiore qui condit leges generales, et hic est Summus Pontifex. Ideoque erronee ex obligatione servandi leges generales in territorio vigentes deducitur peregrinos esse subditos Ordinarii loci.

Neque verum est peregrinos teneri legibus poenalibus, quibus Ordinarius loci violationi legis generalis adiunxit sanctionem. Nam in tali casu habentur duae leges: lex generalis praecipiens aut prohibens, et lex particularis poenalis. Peregrini vi canonis 14 non tenentur legibus particularibus (nisi exceptionaliter, scilicet si ordini publico consulunt, quod sane non dici potest de omnibus legibus poenalibus legibus generalibus adiunctis).

b) Michiels adhuc adducit obligationem peregrinorum servandi leges quae ordini publico consulunt. Sed ex hoc canonis prae-

---

[15] Sane, huiusmodi loquendi modi inexacti non semper causant errorem. Periculum non est idem ac id in quo *semper* sequitur damnum vel malum. Si defectus exactitudinis casu non tangit punctum discussionis, illa non nocet. Si, ut in hac nostra discussione, defectus exactitudinis proprie tangit punctum discussionis seu elementum a quo dependet solutio, damnum sequitur. Cum autem docens haec omnia nequeat praevidere in initio discussionis, huiusmodi modi loquendi inexacti pro posse sunt vitandi in qualibet discussione et in qualibet legis interpretatione.

cepto deduci potest et debet solummodo quod peregrini subduntur *huic potestati speciali* Ordinarii loci ubi actu commorantur, scilicet potestati qua Ordinarii condunt leges quae ordini publico consulunt. Ideoque ex hoc logice deducitur quod Ordinarii loci possunt peregrinos dispensare ab *hisce* legibus servandis. Haec doctrina iam continetur in norma seu principio generali canone 80 statuto: dispensatio concedi potest a *conditore legis.*

Hoc principium non est norma positiva, sed norma iuris naturalis, fundata in natura rei. Qui propria auctoritate condit legem, potest etiam eam relaxare quoad omnes quos ligat sua auctoritate [16]. Minime autem logice, immo proprie erronee ex hoc deducitur, quod Ordinarius loci potest etiam potestatem dispensandi *ab aliis legibus* exercere erga peregrinos. Haec conclusio omnino excedit limites logicae ratiocinationis.

Concludimus: etiam secunda ratio a Michiels allata fallit in utraque sua parte. Ideoque sententia pro qua affertur, hac ratione minime habetur probata.

Tertia ratio quam Michiels affert est illa, quam iam referimus loquentes de argumento a Cappello adducta. Eius valorem iam perpendimus supra [17] et nullum esse probavimus [18].

Alius auctor qui fusius de nostra quaestione disserit, est Cicognani. Etiam ipse non procedit ex textibus Codicis, sed proponit duas illas sententias et afferre conatur quaedam, quae videntur favere sententiae in favorem peregrinorum, ut concludat hanc sententiam, ut probabilem seu dubiam, in praxi teneri posse. Rationes a Michiels allatas ipse tacet, sed alias inducit, quas iudicio critico subiicere nunc officium nostrum est.

1. « Ordinarius loci vel parochus sicut peregrinorum bono providere tenentur, media praebendo salutis et legum generalium Ecclesiae observantiam urgendo, ita congruum est ad eorum spiritualem utilitatem ut eos quoque dispensare valeant. Nimis enim durum in praxi evadere potest recursum ad proprium Ordinarium imponere; imo logicae minus consentaneum cum, in circumstantiis

---

[16] Esset contra naturam rei si ipse legis conditor, qui vi sui officii habet potestatem condendi, mutandi, abrogandi legem, non posset legem relaxare in casu particulari et quidem erga omnes quos lege sua ligat.

[17] Vide supra, p. 31-32.

[18] Michiels adhuc notat quod sententia sua in aliqua decisione rotali dicitur solidissima. Vis huius declarationis si semel tantum seu in una sententia invenitur, non est exaggeranda. Nemo non videt etiam sententiam contrariam in aliqua sententia rotali posset vocari solidissima. Insuper una sententia non aedificatur scientia iuridica. Ipsa enim ab alia sententia negari potest. Una sententia non facit iurisprudentiam. Vide e. g. Decisiones S. R. Rotae: Decisionem datam anno 1942, ex una parte, et Decisiones datae 26 Jan 1948 et 4 Apr. 1951 et 26 Febr. 1952 ex alia parte.

per can. 81 determinatis nec recursus ad S. Sedem requiritur; cur ergo in iisdem circumstantiis recursus ad Ordinarium proprium quod forte difficilius est, imponeretur? ».

Ad hoc notare nos iuvat:

a) Methodus interpretandi hic adhibita gravibus laborat defectibus. Agitur de statuendo aliquam normam, quae valet *pro tota potestate dispensandi*. Ut interpres recte et tuto inveniat quid sit ius valens pro tali materia *generali*, non debet recurrere ad aliquem canonem, qui concedit potestatem dispensandi solis Ordinariis (et non aliis sicut parochis) et quod pressius est notandum, solummodo pro casibus *omnino specialibus et exceptionalibus*, ut facit can. 81. Modus interpretandi scientificus procedere debet a canonibus qui *in generali* regunt potestatem iurisdictionis, etiam voluntariae, sub qua comprehenditur potestas dispensandi. Hi canones sunt c. 201 et 94. Error quem Cicognani committit est, quod ex utilitate seu convenientia, quae tantummodo existit in casibus exceptionalibus, deducit normam generalem pro universa potestate dispensandi. Quod sanae interpretationis methodus non permittit.

b) Alius error auctoris est quod procedit a principio quod concessiones extraordinariae, datae ut provideatur casibus valde urgentibus, semper dantur sic ut praecaveantur *omnes* difficultates et *omnia* incommoda privatorum. Quilibet canonista scit hoc non esse verum. Non raro contingit ut in Codice provideatur pluribus casibus urgentibus, sed non omnibus. Etiam praeter periculum mortis dantur casus, in quibus aliquis ex gravissimo periculo aut incommodo liberaretur, si quilibet sacerdos posset in hisce circumstantiis absolvere a peccatis, et tamen Codex hoc non concedit. Etiam dispensatio a voto S Sedi reservato aut ab impedimento ordinis subdiaconatus vel diaconatus potest esse quid urgentissimum, et tamen haec facultas non continetur in canone 81. Legislator debet rationem habere non tantum de providendo bono privato, sed etiam et magis de providendo bono communi. Quae lex, quod ius condi debeat ut sub omni aspectu bono universo fidelium provideatur, est quaestio quam dirimere debet legislator. Ipse hoc facit lege condita et promulgata. Huiusmodi lex est interpretanda secundum eius tenorem; non secundum id quod interpres privatus iudicat utilius ad praecavenda aliqua incommoda gravia sed privata.

c) Ratio a Cicognani allata continet aliquam veritatem. Nemo negabit extensionem potestatis, canone 81 concessae, ad peregrinos habere utilitatem. Sed haec est ratio qua commendatur ius condendum (mutandum); non ratio qua probatur ius conditum. Est ratio quo probatur quod legislator *forsitan* perfectius egisset si concessisset ut potestas dispensandi canone 81 concessa etiam exerceri potuis-

set erga peregrinos. Sed interpres privatus debet investigare quid sit ius reapse conditum; non ius quod, saltem secundum suum iudicium, esset condendum ut lex melius provideret vitae necessitati [19].

Argumentum secundum a Cicognani allatum est: « cum verba concessionis expresse decernunt facultatem dispensandi exerceri posse tantum in proprios subditos, procul dubio incolae tantum et advenae directe dispensari valent; sed si verba concessionis facultatem non circumscribunt, putamus sufficienter subiectionis titulum constituere actualem commorationem: etenim iurisdictio non solum ratione domicilii, et quasi-domicilii ex parte subditi (c. 94 § 1) exerceri potest; sed etiam ex aliis rationibus: ex contractu, ex delicto (c. 1565-1566), imo iuxta c. 14 § 1 n. 2. ex actuali commoratione ».

Etiam haec ratio in multis fallit.

a) « Etiam ex aliis rationibus ». Respondeo distinguendo: in generali, exerceri potest aliis rationibus, nego; pro casibus specialibus pro quibus hoc conceditur in canonibus specialibus, concedo. Quapropter, ex contractu, ex delicto et vi c. 14 §. 1, n. 2. superiores territoriales possunt *aliquando* potestatem iurisdictionis exercere erga eos qui non sunt incolae aut advenae. Omnes hoc scimus. Etiam quoad aliquas partes potestatis dispensandi hoc conceditur in canonibus specialibus, scilicet 1043, 1245, 1313. Sed ex hoc non sequitur superiores territoriales *totam* potestatem iurisdictionis aut saltem *totam* potestatem dispensandi exercere posse erga peregrinos. Haec est iuris interpretatio, quae peccat contra normas elementares interpretationis ab omnibus admissas. Esset haec ratiocinatio: Codex pro aliquibus casibus admittit commorationem ut titulum subiectionis; ergo Codex admittit commorationem ut titulum subiectionis pro omnibus casibus seu pro tota potestate dispensandi. Sapiens et prudens interpres proprie contrarium deducet ex praemisso, scilicet: ergo *non* pro omnibus casibus, *non* pro tota potestate dispensandi.

b. In prima parte argumenti auctor omittit attendere ad hoc, quod est notissimum in iuris scientia, scilicet quod in Codice facultas vel potestas aliqua circumscribi *potest et solet* duobus modis: aut in ipsa concessione aut in normis generalibus quae utpote generales regunt exercitium cuiuslibet potestatis et circumscribunt

---

[19] Fieri potest ut id quod propter unam rationem est commendandum ut ius condendum, propter alias rationes, quas auctor privatus non adducit et saepe non videt, est vitandum. Ius constituendum non est id quod est societati et membris eius utile *secundum quid* seu *sub aliquo aspectu*, sed id quod est utile simpliciter seu omnibus perpensis. Lex non probatur utilis simpliciter, si demonstretur habere *aliquas* utilitates.

omnes facultates, quas in generali respiciunt. Quapropter ut potestas dispensandi declaretur non circumscripta ad incolas et advenas (a. v. ut ipsa extendatur ad peregrinos) non sufficit ut *verba concessionis* facultatem non circumscribunt (e. g. verba canonis 81 vel 1045).

Insuper requiritur ut haec circumscriptio non statuatur modo generali in normis generalibus quibus regitur exercitium potestatis in genere aut potestatis dispensandi in genere. Reapse, sicut in prima parte nostrae dissertationis demonstravimus (p. 618), canones 201 et 94 simul sumpti per modum normae generalis restringunt et circumscribunt exercitium potestatis iurisdictionis cuiuslibet ad solos subditos.

Hi sunt incolae et advenae (ut optime dicit ipse Cicognani). Quapropter potestas dispensandi in generali nequit exerceri erga peregrinos. In generali, i. e. nisi pro aliqua parte speciali seu pro dispensatione in casibus vel in materiis specialibus aliud iure expresse statuatur, sicut fit in cc. 1043, 1245, 1313. Error auctoris consistit in hoc quod omnino negligit normas generales ut medium interpretandi canones speciales. Est error methodologicus.

Tertia ratio est: « Codex facultatem dispensandi in quibusdam casibus restringit ad solos subditos, videtur in ceteris hanc potestatem ad peregrinos extendere, eo vel magis quod, si principium can. 201, § 1 intelligendum esset iuxta fautores contrariae sententiae, inutile prorsus fuisset in singulis casibus facultatem ad solos subditos expresse restringere ».

Ad hoc respondemus. Singuli casus, de quibus hic loquitur auctor, lectoribus iam noti sunt ex iis, quae diximus supra, p. 621. Sunt casus de quibus agunt cc. 990 et 1402. Forsitan adhuc dantur alii, sed hoc nihil refert. Attamen:

a) Praeprimis idem argumentum adduci potest contra sententiam a Cicognani propugnatam. Nempe: si principium can. 201 §. 1 intelligendum esset secundum sententiam Cicognani, Michiels, et aliorum, scilicet qua tenetur quod personae subiectae potestati dispensandi in genere sunt etiam peregrini et non solummodo incolae et advenae, inutile prorsus fuisset in singulis casibus facultatem dispensandi expresse extendere ad peregrinos, sicut fit in cc. 1043, 1245, 1313.

A. v. hoc argumentum, ex utraque parte allatum contra proprios adversarios, manifestat defectum circumspectionis apud canonistas qui illud afferunt. Canonista circumspectus et cautus, qui attendit ad *omnes* canones de hisce rebus agentes, hoc argumentum prudenter reiiciet.

Sciunt enim iurisperiti quod in canonibus non raro legimus verba quae prorsus inutilia *essent*, si verba legis unice ordinata

essent ad condendum ius. Hoc non ita esse, experientia constat. Verba legis non raro in textu inseruntur propter alium finem, scilicet ad maiorem claritatem; ad evitanda dubia subiectiva et incertitudines aut errores. Proprie in materia de qua nunc est sermo, hoc evidentissime apparet. Nam duae sententiae sibi contrariae, quae apud auctores docentur, non differunt in hoc, quod una sententia cogit ad admittenda verba inutilia in sensu quem Cicognani tribuit huic verbo, et alia sententia hoc incommodum evitat. Utraque sententia cogit ad admittenda aliqua verba inutilia in sensu quo Cicognani hoc verbo utitur. Differentia tantum in hoc consistit quod pro diversis sententiis haec verba inutilia habentur in diversis canonibus. Neutra tamen sententia *revera* cogit ad admittenda verba inutilia in Codice, si attendamus ad factum iurisperitis optime notum quod in legibus verba etiam utilia esse possunt, si addita sint ad maiorem claritatem dicendi.

b) Insuper notandum est non esse verum et exactum quod Codex facultatem dispensandi *in quibusdam casibus* restringit ad solos subditos. Haec assertio nata est ad decipiendos lectores. Codex potestatem iurisdictionis totam et consequenter potestatem dispensandi *totam seu generaliter* restringit ad solos subditos et non in quibusdam casibus, ut luce clarius apparet ex can. 201.

Quartam adhuc rationem adducit Cicognani, scilicet: « dispensatio est odiosa..., potestas dispensandi tamen est favorabilis et amplianda ». Optime, respondemus. Amplianda, sed non omnibus modis; notatim non ultra limites canonibus certe statutos, scilicet cc. 201 et 94.

A. v. potestas dispensandi non est ita amplianda, ut exercitium huius potestatis generaliter extendatur etiam ad peregrinos, qui vi Codicis non sunt generaliter subditi potestatis Ordinariorum locorum et parochorum, sed sunt subditi tantummodo pro materiis specialibus pro quibus hoc speciali legis statuto declaratur, ut fit pro dispensationibus specialibus in cc. 1043, 1245, 1313; pro legibus dioecesanis specialibus in c. 14, §. 1, n. 2; etc. Favorabilia sunt amplianda est regula iuris quae habet suum proprium sensum.

Significat quod in casu, quo habetur lex dubia, ita ut *verba legis duplicem admittant sensum*, sensum scilicet strictum et sensum latum uterque est *verus sensus verborum legis*, in rebus favorabilibus ideoque in interpretanda potestate dispensandi eligendus est sensus latus. Quare hoc argumentum in quaestione nostra non est ad rem, nisi prius probetur verba canonum 201 et 94 admittere duplicem sensum, quorum uterque est *verus sensus verborum istorum canonum*. Nos in prima parte nostrae dissertationis demonstravimus contrarium.

CONCLUSIO

Argumentatione duplici, directa scilicet et indirecta, qua et nostra propria sententia probatur vera et rationes pro sententia contraria allatae omnes demonstrantur erroneae et non probantes id ad quod probandum afferuntur, statuimus nostram sententiam esse veram et certam; in textu Codicis vere contentam. Tunc sequitur eadem certitudine sententiam adversariorum nostrorum esse falsam, a. v. neque certam neque probabilem, neque in praxi tutam.

Sane, nullus canonista se reputare potest infallibilem. Sed defectus infallibilitatis non secumfert ut excludatur certitudo. Secus nulla haberetur certitudo extra materiam fidei. Sententiam autem quae argumentis simplicibus et peremptoris est probata, debemus admittere ut certam et non licet eam vocare dubiam, aut sententiam contrariam vocare probabilem hac sola ratione quod non sumus infallibiles. Tantummodo infallibilitas excludit meram possibilitatem errandi, quae inest cuilibet humanae cegnitioni etsi *certae*. Quapropter grati erimus cuilibet canonistae qui doctrinam hic a nobis expositam impugnet, dummodo hoc faciat modo scientifico, scilicet dummodo non mere repetet argumenta, quae nos argumentis datis demonstravimus esse insufficientia, sed rationibus solidis demonstret argumenta et ratiocinationes nostras esse falsas aut insufficientes ad probandum id, pro quo eas attulimus. Ad verum scientiae progressum collaborat ille, qui non tantum perhibet adversarium suum errare vel forsitan errare, sed qui errorem demonstrat.

Nunc agendum est de potestate c. 1045 concessa in speciali.

III

DE SUBIECTO PASSIVO POTESTATIS CONCESSAE CANONE 1045.

Hucusque demonstravimus sententiam quae docet superiores territoriales in generali posse potestatem dispensandi qua pollent exercere erga peregrinos, esse falsam et reiiciendam. Hoc facto, demonstratum simul habetur, doctrinam quae tenet potestatem dispensandi canone 1045 concessam se extendere ad peregrinos, probari non posse ex hac sententia generali. Non autem iam sequitur illam doctrinam seu interpretationem c. 1045 esse erroneam. Fieri enim potest, ut adsint *aliae* rationes, propter quas proprie haec potestas *specialis* iure Codicis extendatur ad peregrinos. Agitur enim de aliqua potestate valde speciali, pro qua rationes valere possunt, quae non valent de tota potestate dispensandi.

In articulo nostro iam prius publici iuris facto (Monitor Eccles. 1953, fasc. IV) argumentis *directe* probantibus demonstravimus sententiam nostram: potestas canone 1045 concessa exerceri nequit erga peregrinos. Probatio nostra fundata est in textu ipsius canonis. Nulla datur ratio hic repetendi nostram argumentationem. Commentaria autem, quae ex parte aliquorum canonistarum privatim accepimus nos urgent ut crisi subiiciamus rationes, quas nostri in hac re adversarii afferunt ad contrariam sententiam probandam.

In memorato articulo nostro iam retulimus argumentum R. P. Darmanin, qui ex solo facto quod alii aliam tenent sententiam concludit recurrendum esse ad finem legis. Qui sic procedit, ultro admittit controversiam de vero sensu legis numquam solvi posse recurrendo ad primum et principale interpretationis medium, scilicet ad verba legis. Nostro iudicio verba legis non propter hoc iam sunt *in se* dubia, quia quidam dubitant vel quidam errant [20].

Multae sunt rationes, quas nostrae sententiae adversarii adducunt ad propriam probandam sententiam. Praeprimis habentur quinque rationes, quae ab Oesterle afferuntur. Hic canonista notissimus in suo libro « Consultationes de iure matrimoniali » fusius agit de canonibus 1043-1045. Incipiens agere de subiecto passivo potestatis canone 1045 concessae (p. 139-140) sic ratiocinatur: « Personae quae vi canonis 1045 dispensari possunt in ipso canone non exprimuntur. Unde vi c. 20 recurrendum erit ad c. 1043, ubi personae expresse nominantur, scilicet proprii subditi et omnes in proprio territorio actu degentes ».

Iurisperitus vix mirari nequit de hac interpretandi methodo. Nimis facile enim et praecipitanter Oesterle statuit: « personae, quae vi canonis 1045 dispensari possunt, in ipso canone non exprimuntur. Unde vi canonis 20 recurrendum est ad c. 1043 ». Nam canon 20 agit de casu, in quo « certa de re deest expressum praeceptum legis *sive generalis sive particularis* »; canon agit de sic

---

[20] Canon 18 statuit « Quae si (signifatio verborum legis) dubia et obscura manserit, ad locos Codicis parallelos, si qui sint, ad legis finem .... est recurrendum ». Hoc legis statutum non recte servat canonista, qui ad legis finem recurrit antequam constat, et quidem post strenuum laborem et studium criticum argumentorum quae pro diversis sententiis afferuntur (canon enim dicit: si *manserit* dubia), quod propria significatio verborum vere est dubia et obscura, et incertitudo et obscuritas studio tolli nequit, a. v. canonista qui non prius conatur demonstrare discordiam inter auctores et pluralitatem sententiarum non habere solidum fundamentum eo quod rationes pro una sententia adductae sunt falsae aut non sufficientes ad probandum id ad quod afferuntur. Huius conatus omissio nobis videtur esse causa, quare in iure canonico vigeant tot dubia et incertitudines, quae numquam cessant.

dicta lacuna legis. Haec autem omnium iurisperitorum consensu habetur, si ex una parte aliqua norma iuris haberi debet, quia secus casus concretus a iudice solvi non potest et tamen debet; ex alia autem parte nulla norma invenitur *in toto complexu legislationis* [21]. Huiusmodi casus tamen non ex hoc solo facto iam habetur, quod aliquis canon specialis (c. 1045) non expresse nominat personas, quae dispensari possunt vi facultatis quam concedit. In ipso enim Codice habentur normae generales, quae modo generali aliquid statuunt, quod viget pro omnibus casibus eiusdem generis vel pro tota aliqua materia, nisi norma quaedam specialis pro aliqua speciali materia aliquid aliud statuat et sic normae generali deroget. Qui videt canonem 1045 non exprimere personas quae dispensari possunt, non recte concludit ad lacunam legis seu ad casum de quo agit canon 20, nisi prius circumspecte investigaverit num vi aliorum canonum hae personae sint determinatae et designatae. Praeprimis recurrit ad normas generales quae habentur sive in Libri I Codicis, sive in aliis partibus, puta in initio libri II (cc. 87-107) vel in libri II titulo V, qui continet normas generales de exercitio potestatis iurisdictionis (cc. 199-209). Ibi inveniuntur normae desideratae. Ibi enim statuitur quod potestas iurisdictionis, etiam voluntariae (ad quam pertinet potestas dispensandi) exerceri nequit directe nisi in proprios subditos (c. 201) et quod proprii subditi alicuius Ordinarii loci (vel parochi) sunt personae, quae domicilium vel quasidomicilium habent in territorio huius Ordinarii (vel parochi). Hoc statuto, ex facto quod c. 1045 non exprimit personas, erga quas potestas dispensandi exerceri potesta, i. e. ex facto quod hic canon specialis nihil speciale habet quoad subiectum passivum potestatis dispensandi, concludit, non quod habetur lacuna legis, sed quod exercitium potestatis c. 1045 concessae nulla regitur norma speciali et exceptionali, sed norma generali, quae viget pro exercitio iurisdictionis in genere et quae invenitur in cc. 201 et 94. Est illa norma, quae viget pro qualibet potestate iurisdictionis concessa, quin aliquid speciale statuatur circa subiectum passivum, i. a. pro potestate concessa c. 15, c. 81.

Quid utilitatis statuere normas generales pro aliqua materia, e. g. pro exercitio potestatis iurisdictionis et dispensationis, si ca-

---

[21] Iste canon 20 secundum doctrinam communem praebet normam *iudici*, qui rem sibi delatam debet decidere et cui non licet omittere sententiam decisivam propter defectum legis quae regit hanc materiam. Agitur de interpretatione *authentica*, de qua est sermo in c. 17 § 3. Canon non praebet normam pro interpretatione *privata* seu *doctrinali*. Pro interprete privato valet alia norma in natura rei fundata, scilicet: si certa de re desit expressum praescriptum legis, deest materia interpretationis. Nam interpretari est statuere sensum legis; non supplere ius deficiens.

nones de aliqua re speciali agentes deberent expresse hanc regulam repetere pro hac re speciali et si hoc omittant, concludendum esset ad lacunam legis? Concludimus: visa, sicut fieri debet, *tota* legislatione vigente omissio in ipso canone 1045 personarum erga quas potestas dispensandi exerceri potest nullatenus constituit lacunam legis, in quo applicatur canon 20.

Ratiocinatio ipsius Oesterle est erronea et non libera a praecipitationis vitio.

Post argumentum nunc reiectum Oesterle alias adhuc adducit rationes ad suam sententiam firmandam. Istas iudicio critico subiiciamus nos oportet. Sunt quattuor:

a) (Extensionem potestatis dispensandi etiam ad peregrinos) « postulant verba canonis 1045: quoties impedimentum detegatur cum iam omnia parata sunt ad nuptias. Quae circumstantia generaliter loquendo verificatur in loco, ubi matrimonium contrahitur ».

Haec ratio est valde debilis. Concedimus detectionem impedimenti generaliter loquendo verificari in loco, ubi matrimonium celebratur. Sed attendere debemus ad hoc, quod etiam generaliter loquendo matrimonium contrahitur in loco (paroecia vel saltem civitate) ubi saltem alteruter sponsorum domicilium vel quasidomicilium habet. Quapropter iterum generaliter loquendo necessitati, cui canon 1045 providere intendit, provisum est, si canon intelligatur secundum normas generales, quae regunt exercitium potestatis iurisdictionis sub qua comprehenditur potestas dispensandi; secundum normas igitur generales quibus textus canonis 1045 nullo verbo derogat. Proinde etsi extensio canonis 1045 ad peregrinos aliquibus casibus provideat, quibus absque hac extensione non esset provisum, in utraque interpretatione salvatur quod canon providet casibus urgentibus prout generaliter loquendo verificantur. In hoc casu recta interpretationis methodus non permittit eam eligere interpretationem quae aliqualiter largius providet casibus exceptionalibus, sed quae negligit normas generales, positive statutas in Codice, scilicet canones 201 et 94. Nam primum et principale medium interpretationis est textus legum.

Animadvertere adhuc nos iuvat hoc. Canon 1045 pertinet ad illos canones, qui faciunt concessiones speciales ad praecavenda damna et incommoda gravia in circumstantiis specialibus oritura. Plures huius indolis canones in Codice inveniuntur. Erraret autem qui putat voluntatem legislatoris esse ut provideat *omnibus* casibus. Hoc nos semper esse voluntatem legislatoris apparet quoad plures huius indolis canones, sed modo speciali quoad canonem 1045. Scimus quod dantur casus, in quibus potestas dispensandi a lege formae servandae, Ordinario vel parocho data, aliquando praecaveret damnum imminens vel grave incommodum et tamen haec

potestas canone 1045 non conceditur. Scimus quod etiam grave damnum vel incommodum imminere potest si, cum omnia parata sunt ad nuptias, detegatur impedimentum *in casu non occulto sed publico;* et nihilominus potestas parochi et confessarii restricta est ad casus occultos [22]. Ex hoc apparet quod concessio canone 1045 facta non mensurari potest soli utilitati vel necessitati praecavendi damna vel incommoda privatorum; sed quod legislator rationem habere voluit etiam cum aliis elementis, forsitan nobis ignotis. Quapropter non illa utilitas quam nos, interpretes privati, videmus, sed ipse textus legis praebet medium tutum et solidum ut statuamus qui sint limites concessionis. Hi textus legis sunt textus canonum 1045, 201, 94 et ipsi constringunt ad interpretationem, quae excludit peregrinos e subiecto passivo potestatis concessae.

b) Secunda ratio allata sonat: « Declaratio authentica (1. 3. 1929) supponit casum, quo impedimentum tunc solum in notitiam parochi venit, cum iam omnia parata sunt ad nuptias; supponit ergo communiter parochum illius parochiae, in quo de facto connubium initur ».

Interpretatio authentica, de qua hic est sermo, supponit hoc, quia supponit omnia de quibus non loquitur, a. v. supponit omnia quae in canone 1045 continentur praeter unicum punctum de qua reapse agit interpretando et hoc punctum est determinatio personae, ad cuius notitiam impedimentum pervenire debet, ut iam habeatur casus canone 1045 contemplatus. De aliis elementis, notatim de subiecto passivo, interpretatio authentica nihil habet: hoc elementum ne indirecte quidem respicit. Quapropter adductio interpretationis authenticae post allatum ipsum canonem (iam factum sub a.) est prorsus inutilis et nullam probationem addit ad eam, quae iam sub a) est data. Id quod efficere potest nihil aliud est quam lectori non vigili aut circumspecto suggerere quod hic *nova* addatur ratio, qua thesis firmatur. In quantum autem ratio secunda convenit cum illa prima, eundem habet valorem probandi thesim ac haec, quam supra demonstravimus quid valeat.

c) Tertia ratio sonat: « ratio contractus matrimonialis huiusmodi interpretationem expostulat; nam locus regit actum ».

Ni fallor, regula « locus regit actum » in iure habet sensum bene determinatum et restrictum. Sensus iste est: actus iuridicus regitur legibus vigentibus in loco ubi actus fit; ubi contractus ce-

---

[22] Exemplum eiusdem rei quoad alios canones est hoc. Scimus quod etiam extra periculum mortis dantur casus, in quibus gravissimae necessitati provideretur, si quilibet sacerdos posset in talibus casibus absolvere a peccatis. Et tamen haec potestas codice concessa est solummodo pro periculo mortis. Quare? Certe propter rationes quae hoc commendant et quas legislator cognoscit.

lebratur. Haec doctrina applicatur etiam in c. 14, quo statuitur quod etiam peregrini ideoque omnes in aliquo territorio commorantes adstringuntur legibus territorialibus *quae actuum solemnia determinant.* « Locus regit actum » sic igitur circumscribitur: leges in loco vigentes regunt actus iuridicos qui in loco perficiuntur. Nullus autem iuris vere peritus putabit haec verba absque delectu adhiberi posse ad solvendam quamlibet quaestionem, e. g. de extensione potestatis dispensandi. Iam ipse canon 14 clare decernit quod non omnes peregrinorum actus reguntur loco ubi perficiuntur; imo quod « locus regit actum » tantummodo viget pro determinatis actuum et legum categoriis. Quapropter norma « locus regit actum » ita generaliter proposita tamquam argumentum pro quacumque materia reiici debet. Norma sic adhibita nimis probat et proinde nihil probat.

Etiamsi enim verum sit quod contractus regitur legibus de forma contractus vigentibus in loco ubi contractus celebratur et ideo etiam matrimonium, ex hoc nullatenus sequitur quod personae, matrimonium contracturi in aliquo loco, *in omnibus* quae cohaerent cum hoc matrimonio sunt subiecti potestati superiorum territorialium huius loci. Si Ordinarius loci haberet potestatem legibus particularibus statuendi impedimenta matrimonialia, haec impedimenta non tenerent peregrinos in eius territorio contrahentes (c. 14) ideoque norma « locus regit actum » hic **falleret.**

Eadem et maiori adhuc vi negandum est, quod ex solo facto quod matrimonium celebrabitur in aliquo loco sequitur quod superiores huius loci possunt dispensationis potestatem qua pollent exercere erga nupturientes etsi peregrinos. Notandum insuper est quod nulla datur ratio qua hoc argumentum solummodo valeret pro casibus *urgentibus* et non pro quolibet casu. Argumentum duceret ad doctrinam, qua generaliter potestas dispensandi exerceri posset erga peregrinos. Hanc autem doctrinam Oesterle videtur non admittere. Secus explicari nequit quare non adducit etiam hanc doctrinam ad probandam suam sententiam relate ad c. 1045 [23].

d) Quarta ratio nititur falso conceptu exercitii *indirecti* potestatis. Oesterle putat quod exercitium indirectum potestatis concipi potest ut exercitium ratione *facti* (matrimonii) aut ratione *loci.* In nostro articulo (in Monitor Eccl. 1953, fasc. IV) demonstravimus

---

[23] Applicatione principii: « locus regit actum » modo quo Oesterle procedit, Ordinarius iam haberet potestatem dirpensandi peregrinos ex solo facto quod matrimonium praeparant in suo territorio. Dispensatione obtenta sponsi possunt relinquere dioecesim et proprio parocho demonstrare dispensationem obtentam et validam. Quo facto parochus deberet assistere, etsi agatur de dispensatione quam proprius Ordinarius nupturientium numquam concedisset et merito, propter bonum commune spirituale fidelium.

hunc conceptum exercitii indirecti esse erroneum. Potestas iurisdictionis indirecte exercetur, si directe exercetur erga aliquam personam et propter relationem huius personae cum alia persona, effectus dispensationis se ad hanc personam extendit. Exemplum est dispensatio ab impedimento consanguinitatis data Titio, qui contrahere cupit cum Caia, quae ipsa nullatenus est superioris dispensantis subdita. Iurisdictio natura sua exercetur erga *personas;* non erga res vel locos vel facta. Personae dispensandae designari possunt relatione ad aliquem locum vel factum, sed ii qui dispensantur sunt *personae.* Quapropter non datur exercitium *indirectum* potestatis dispensationis, nisi detur exercitium *directum* erga aliquam *personam.* Oesterle cum aliis sibi fingunt exercitium indirectum, quin habeatur exercitium directum. Est error circa naturam exercitii indirecti.

Insuper legimus apud Oesterle: « huiusmodi factum (scilicet quo in Codice aliquis fit subditus superioris territorialis) est commoratio baptizati in territorio... » Et citat aliquos canones in quibus hoc aut nullatenus dicitur (ita c. 14, § 1 n. 2.) aut nonnisi relate ad potestatis actus *speciales.* Revera, nullus canonista ignorat solam commorationem in aliquo territorio iure Codicis non esse factum, quo quis constituitur subditus alicuius superioris territorialis (c. 94). Ad hoc requiritur specialis iuris dispositio, quae in Codice habetur nonnisi pro exercitio actuum iurisdictionis *in determinatis materiis*, ut habetur in c. 1245 et 1313.

e) In quinta ratione seu sub littera e auctor nihil aliud facit quam dicere quod van Hove docet hanc sententiam (scilicet quae potestatem canonis 1045 concessam extendit ad peregrinos) esse communiorem. Sed, ni fallor, a nullo canista ita alienum est iurare in verbo magistri, quin probentur eius rationes, quam proprie a Van Hove, qui inter canonistas meo saltem iudicio eminet spiritu scientifico-critico [24].

Sic demonstratum est rationes multas, quas Oesterle affert, nullatenus probare sententiam, pro qua afferuntur. Totum opus interpretationis eorum, qui sententiam peregrinis favorabilem propugnant, laborat hoc vitio, quod nullum tribuunt valorem omissioni verborum, quae in canone 1043 habentur. Absque sufficienti ratione hanc omissionem tribuunt inadvertentiae. Recta interpretationis methodus hoc prohibet. In casu nostro nullus sequitur sensus inadmissibilis, nulla iuris anomalia, si canonem 1045 interpretamur secundum principium notissimum: *legislator quod tacuit, noluit.* Circa personas dispensandas legislator in canone 1045

[24] Haec quinta ratio haberet vim alicuius confirmationis, si sententia esset solide probata argumentis praecedentibus. Sed vidimus hoc nullatenus esse factum.

tacuit. Ergo noluit ut in hac re vigeat norma specialis. Ideoque voluit ut in hac re vigeat norma generalis de exercitio iurisdictionis voluntariae, quae norma generalis est: potestas iurisdictionis etiam voluntariae exerceri nequit nisi erga proprios subditos et proprii subditi Superiorum localium sunt ii, qui domicilium vel quasidomicilium habent in eorum territorio; non igitur peregrini. Quare peregrini vi canonis 1045 dispensari nequeunt.

Alius adhuc canonista de hac nostra questione disseruit, scilicet S. D'Angelo in periodico *Apollinaris* (I, p. 256). Ipse non perhibet se probare sententiam in favorem peregrinorum esse veram et in Codice fundatam, sed dicit se *opinari* hanc sententiam esse *aliqualiter* probabilem. Quantum ad rationes quas affert haec sunt notanda.

Ipse scribit: « potestas dispensandi est potestas iurisdictionis; haec ideo generaliter exerceri potest in subditos (c. 201, § 1), non tantum vero ratione territorii (c. 94 § 1), sed etiam quacumque alia ratione; atqui huiusmodi rationes esse possunt: transitus, contractus, delicta; ergo ad effectum dispensationis peregrini habendi sunt ratione contractus Ordinariorum subditi, ad quorum matrimonium illi valide assistere possunt ».

Haec ratiocinatio in pluribus graviter fallit. Designemus breviter enuntiationem finalem: ad effectum dispensationis peregrini sunt Ordinariorum subditi, ad quorum matrimonium illi valide assistere possunt. Quilibet canonista scit iure codicis quemlibet Ordinarium *valide* assistere posse matrimonio *cuiuslibet* peregrini, eo quod ad validam assistentiam nihil aliud requiritur quam assistentia in proprio territorio. Sequeretur quemlibet Ordinarium posse ratione contractus dispensare omnes peregrinos ab impedimentis ad quae dispensanda habet facultatem. Res inaudita in iure.

Sola *possibilitas assistendi valide* ad aliquem contractum esset titulus subiectionis quoad exercitium potestatis dispensandi!

Deinde, libenter concedimus quod potestas dispensandi exerceri potest erga subditos quacumque alia ratione; semper tamen: *dummodo haec alia ratio iure statuatur*. In iure autem nostro nullibi statuitur, quod peregrini sunt quoad omnia aut saltem quoad totam potestatem dispensandi Ordinarii aut parochi subditi.

Insuper: « huiusmodi rationes possunt esse transitus, contractus, delicta ». Etiam hoc concedimus. A. v. ratione contractus aliquis *potest* esse subditus alicuius Ordinarii. Sed iterum: id quod *potest* esse titulus subiectionis, non adhuc *est* titulus subiectionis. Ad hoc requiritur ut lex statuat *hoc factum esse titulum* subiectionis quoad *hanc potestatem* exercendam. Id quod nos nunc quaerimus non est utrum contractus *possit* esse titulus, sed utrum vi iuris vigentis contractus *sit* titulus. A. v. quaerimus, non utrum

Codex possit statuere quod ratione matrimonii ineundi aliquis fit subditus Ordinarii loci ubi matrimonium initurus est et hoc quoad potestatem dispensandi, sed utrum Codex revera hoc *statuat*. Tunc apparet Codicem hoc nullatenus statuere. Imo, proprie statuit contrarium.

Datur aliquod iuris statutum, quo ratione contractus *initi* in aliquo loco, partes qui contraxerunt possunt citari et iudicari a Superiore locali huius loci relate ad causas ipsum contractum respicientes, e. g. eius aliditatem, eius obligationes, etc. Sed nullum datur in Codice iuris statutum quo aliquis fit subditus alicuius Ordinarii loci ratione contractus *non adhuc initi*, sed tempore futuro celebrandi [25].

Nulla etiam datur lex, quae statuit quod aliquis ratione contractus sive initi sive ineundi fit subditus alicuius ordinarii loci relate relate ad negotia iuridica, qui non respiciunt ipsum contractum eiusque adimpletionem. Huiusmodi negotium est dispensatio concedenda ab aliquo impedimento matrimoniali.

Qui intendit probare Ordinarium vel parochum posse potestatem canone 1045 concessam exercere erga peregrinos, debet non loqui de iis quae fieri *possunt*, sed debet adducere verba canonum, quae statuunt contractum *adhuc ineundum* esse titulum, quo ii qui contractum celebrabunt in aliquo loco, sunt subditi Ordinarii huius loci et hoc non quoad *aliquam* materiam sed proprie quoad *illam materiam* de qua est sermo, sclicet quoad potestatem dispensandi ab impedimentis in casibus de quibus agit canon 1045. Hoc D'Angelo minime fecit. Mea sententia proprie contrarium e Codice pro-

---

[25] Locutio « contractus » seu « ratione contractus » a D'Angelo hic adhibita, est nimis generale et sua vaga generalitate causat errores. Non « contractus » sed « contractus initus », non « matrimonium » sed « matrimcnium celebratum in hoc loco » est in Codice titulus subiectionis. Sed non ita generaliter et absque restrictione sicut d'Angelo supponit. Primo enim ratione contractus initi contrahens non subiicitur Ordinario loci nisi sola potestate *iudiciaria*, in causis hunc contractum ipsum spectantibus. Deinde, etiam haec subiectio non existit ex solo contractu. Subiectio non oritur nisi dependenter ab alio facto, scilicet in ius vocatione.

Erronee diceretur Andream, qui contractum iniit (matrimonium celebravit) Florentiae, sed domicilium habet Bononiae, esse subditum Ordinarii Florentii. Andreas hic et nunc nullam relationem subiectionis habet cum Ordinario Florentino. Id autem quod dici potest est hoc tantum, quod si aliquis in ius vocare cupit Andream in causa hunc contractum (hoc matrimonium) respiciente, ipse adire potest tribual Ordinarii Florentini et si reapse elegerit hoc tribunal et causa est introducta, tunc Ordinarius Florentinus incipit habere potestatem iurisdictionis iudicialis erga Andream ideoque ipse Andreas tunc est quoad hanc specialem potestatem subditus Ordinarii Florentini. Si autem actor eligat Tribunal Bononiense, utpote tribunal loci ubi Andreas habet domicilium, tunc Andreas nullo modo et in nulla re est subditus Ordinarii Florentini. Ex quo apparet quod solus contractus initus in loco non est titulus subiectionis. Exactitudo in usu verborum non est superflua, si agatur de discussionibus intricatis tuto et utiliter solvendis.

bari potest. Nam cum canon 1045 nihil in contrarium statuat, sequitur ut subiectum passivum potestatis hic concessae sunt personae quae secundum normas generales (canonibus 201 et 94 statutas) sunt subiectum potestatis iurisdictionis. Inter eos non comprehenduntur peregrini.

Notare adhuc nos iuvat quod in iure cognoscimus titulos subiectionis sive generales, sive speciales seu pro aliqua determinata materia, qui tamen sunt omnes facta realia, sive praeterita sive praesentia; non autem facta futura. Futura enim contingentia sunt incerta. Matrimonium adhuc celebrandum in tali loco est factum incertum. Nemo constringitur ad celebrandum matrimonium in territorio Ordinarii, ubi prius sibi proposuit, maxime si in hoc loco non habeat domicilium. Fieri potest ut matrimonium postea non celebratur in tali loco et tunc Ordinarius concedisset dispensationem titulo subiectionis qui est matrimonii celebrandi, et titulus reapse numquam exstitit.

Sic apparet argumenta ab adversariis nostrae sententiae allata esse falsa et in erroribus fundata et proinde destituta omni vi probandi id, quod probare debent. Non possum asserere haec argumenta omnino nihil probare. Probant scilicet, etsi non absolute, sed cum notabili probabilitate, aliquid aliud, scilicet quod ius canone 1045 statutum non est perfectum et quod optandum est ut sive legis mutatione formali sive interpretatione authentica extensiva (quae est legis mutatio sub figura interpretationis) potestas canone 1045 concessa extendatur etiam ad peregrinos, seu ad omnes in territorio actu commorantes. Id autem quod est in votis non est ius reapse vigens. Ius vigens invenitur in legibus, non in votis canonistarum. Ideoque hodie haec extensio non est ius vigens.

Consulto dico: argumenta data hoc probant, sed *non absolute*. Fieri enim potest quod legislator propter alias rationes iudicat hanc mutationem non esse emendationem, quia praeter aliqua commoda causaret damna vel incommoda graviora et vitanda.

Concludimus. De sententia, quae potestatem canone 1045 concessam extendit ad peregrinos valet, quod Chelodi-Ciprotti scribit de sententia quae tota dispensationis potestatem extendit ad peregrinos: non habet fundamentum in iure. Doctrina autem quae non habet fundamentum in iure seu in iuris fontibus, non debet admitti, ne ut probabilem quidem vel ut tutam in praxi. Vita regi debet legibus, non sententiis privatorum in iure non fundatis.

Dr. L. Bender, O. P.

DE CONDICIONE POTESTATIVA IN CONTRACTU MATRIMONIALI

I. Condicioni sive positive sive negative necessariae, natura sua opposita est condicio *potestativa* seu *arbitraria*, quae in potestate seu arbitrio ponitur alterius contrahentis, ideoque ab eius voluntate pendet [1].

Condicio potestativa, sive sit *negativa* (quae in non faciendo consistit: e. g. *vendo tibi domum, dummodo hoc vel illud numquam facias*), sive sit *affirmativa* (quae in faciendo consistit: e. g. *vendo tibi domum, dummodo hoc vel illud semper facias*), quoties revera sit negotii iuridici *suspensiva*, negotium ipsum irritat: vi enim eiusdem, negotium pendet a defectu circumstantiae quae semper verificari potest, usque dum alter contrahens vita fungatur; aut circumstantiae subiicitur quae voluntate alterius semper potest deficere ideoque numquam negotium perfectum erit [2]. Condicio autem potestativa, sive negativa sive affirmativa, apponi potest tamquam negotii *resolutiva* [3]: tunc vero negotium resolvitur facto vel omissione in condicionem deducta.

II. In re matrimoniali condicio potestativa, sive *negativa* (e. g. *contraho matrimonium, dummodo ad domum tuam numquam redeas*), sive *affirmativa* (e. g. *nubam tibi, dummodo in domu mea commoreris*), peculiaris momenti est.

Quia condicio potestativa negativa « nisi fine vita expleri non potest » [4], matrimonium ab ea pendens numquam perfectum erit;

---

[49] Cfr. Escrivà de Balaguer: « Estatuto », art. 10, 2°.

[1] Cfr. Cod. VI, 51, 7.

[2] Cod. Civ. Ital. art. 1355 pro contractibus in genere decernit: « E' nulla l'alienazione di un diritto o l'assunzione di un obbligo subordinata a una condizione sospensiva che la faccia dipendere dalla mera volontà dell'alienante o, rispettivamente, da quella del debitore ».

[3] Cfr. e. g. E. Betti, *Teoria Generale del negozio giuridico*, Torino, 1943, p. 337, qui citat decisionem Cassationis Italicae, diei 31 iulii 1939, iuxta quam: « La condizione meramente potestativa rende nulla l'obbligazione qaundo è sospensiva, e non quando è risolutiva ».

[4] D. XXXVI, 1, 67, 1. Ait Th. Sanchez: « dubitatur de conditione impossibili contraria substantiae matrimonii an reicienda... vel potius annullat matrimonium. Breviter dicendum est, non reiici, sed annullare matrimonium, ut *contraho tecum, si veneris ad exequias meas*... Similiter *contraho tecum, si non ascenderis Capitolium*: cum enim sit conditio negativa, cuius contrarium toto vitae curriculo fieri potest, perinde est ac dicere, *contraho tecum post mortem meam*... Et ratio est, quia talis conditio cum tollat matrimonii substantiam, excludit consensum necessarium, absque quo matrimonium consistere nequit » (*De S. Matrimonii Sa-*

sicut desunt condicio et matrimonium, ita deest consensus matrimonialis, qui sine obiecto praestari nequit. Condicio potestativa affirmativa pariter ex se perpetuo matrimonium suspendit, et in negativam resolvitur [5].

III. Cum tamen in re tam gravi prout est matrimonium « plane tenendum sit partes noluisse ludere verbis » [6], condicio potestativa in pluribus decisionibus S. R. Rotae ita interpretata fuit ut eidem subesset « non eventus futurus, sed promissio ex animo facta a comparte aliquid post nuptias praestandi » [7] vel omittendi. Condicio proinde potestativa sive positiva sive negativa, habenda esset *de praesenti*, ita ut obligatione sincere suscepta a comparte, matrimonium valeat, etsi postea non adimpleatur; si e contra promissio fuerit simulata, matrimonium corruat.

IV. Non deest tamen qui huic theoriae, « auctoribus tam antiquis quam modernis prorsus ignotae » [8], gravibus argumentis adver-

---

cramento, L. V, disp. IV. n. 19). Nisi tamen constet, in re tam gravi, de voluntate ludendi, tenendum est condicionibus quoque potestativis negativis aliquid subesse quod cum voluntate contrahendi componatur.

[5] Cfr. e. g. E. Graziani. *Contributo allo studio della condizione nel diritto matrimoniale canonico* (Estratto dall'*Ephemerides Iuris Canonici*, annus IV (1949) Num. 1), p. 72.

[6] *Decisiones S. R. Rotae*, vol. XV, p. 176, n. 5, decisio 23 julii 1923, coram *Massimi*.

[7] *Decisiones S. R. Rotae*, vol. XV, p. 176, n. 5, decisio 23 julii 1923, coram *Massimi*. Item: vol. XIII, p. 213, n. 4. dec. 11 Augusti 1921, coram *Solieri*; vol. XIV, p. 104, n. 10. dec. 28 Aprilis 1922, coram *Rossetti*; vol. XIV, p. 158, n. 1 et p. 167, n. 11, dec. 18 Maii 1922, coram *Grazioli*; vol. XVII, p. 143, n. 2, dec. 24 Martii 1925. coram *Mannucci*; vol. XX, p. 240, n. 1, dec. 12 Junii 1928. coram *Massimi*; vol. XXI, p. 119, n. 14, dec. 20 Februarii 1929, coram *Guglielmi*; vol. XXIX, p. 57, n. 3, dec. 1 Februarii 1937, coram *Wynen*; vol. XXIX, p. 382, n. 5, dec. 1 Junii 1937, coram *Heard*: vol. XXIX, p. 687, n. 3, dec. 18 Novembris 1937, coram *Wynen*; vol. XXX, p. 156, n. 7 et p. 161, n. 16, dec. 7 Martii 1938, coram *Grazioli*; vol. XXX, p. 504, n. 2, et p. 506, n. 6, dec. 29 Julii 1938, coram *Quattrocolo*; vol. XXXII, p. 837, n. 41, dec. 23 Novembris 1940, coram *Wynen*; vol. XXXIV. p. 818, n. 4, dec. 17 Decembris 1942, coram *Grazioli*; etc.

[8] *Decisiones S. R. Rotae*, vol. XXIII, p. 318, n. 5, dec. 25 Julii 1931, coram *Parrillo* (ubi citantur c. 1, X, IV, 5; E. Gonzalez - Tellez, *Commentaria*, L. IV, tit. V, c. 1, n. 8; F. Schmalzgrueber, *Jus ecclesiasticum universum*, L. IV, tit. V, n. 140; I. D' Annibale. *Summula theologiae moralis*, pars III, n. 448, nota 10; F. X. Wernz, *Jus Decretalium*, ed. 1904, Tom. IV, n. 292, nota 3). His addi possunt: P. Laymann, *Theologia Moralis*, L. V, tract. X, pars II, cap. VII, n. 11; J. B. De Luca, *Theatrum Veritatis et Justitiae*, L. X, *De fideicommissis*, disc. 154, n. 11, qui haec tradit: « Contextus verborum spectari quidem debet, quando factum sive subiecta materia non repugnat, secus autem tali repugnantia accedente, tunc enim non attenduntur verba, sed attenditur ipsa rei substantia, seu veritas; propterea, ubi adimplementum pernecesse faciendum est a parte postea, etiamsi expresse adhibeatur, verbum *conditio*, illud resolvitur in modum ». Cfr. etiam *Rota*

setur, tenens: « Conditio potestativa, tam affirmativa, quam negativa, cuius eventus post nuptias verificari debet, uti suspensiva habenda erit, si contrahentium intentio fuit, ut nuptiae validae non essent ante conditionis eventum, et facto id ostenderint per corporum traditionem inter se non secutam. Quod si vero intenderint actum validum vel ab initio perficere et copula carnalis sit libere secuta, conditio suspensiva, potissimum in his, quae tractum successivum habent, ne intelligi quidem potest, et resolutiva, utpote a iure et bonis moribus improbata, praesumptione iuris abiicienda est. Vicissim, ex concordi Doctorum sententia, his in casibus non conditio, sed *modus* inspiciendus est, qui consensum intactum relinquit » [9].

V. Alii e contra opinantur has condiciones esse resolutivas [10], dum alii eas dicunt simpliciter turpes (can. 1092, n. 2), utpote propositum implicantes utendi coniugio nondum existente, quia condicio adhuc pendet [11].

VI. Perpensis argumentis hinc inde adductis, et voluntate ac modo se gerendi, sive realibus sive possibilibus, illorum qui has condiciones apponunt, concludendum est nullam ex memoratis sensentiis generali praesumptione fulciri. Principia enim quibus quaestio dirimitur quaeque unanimiter admittuntur, sunt haec:

a) ad condicionem definiendam, ad statuendum nempe quid condicioni subsit id est condicionis obiectum, attendenda est contrahentium voluntas, quae in condicionibus primum locum obtinet, easque regit [12];

b) a condicione sedulo distinguenda sunt postulatum seu praesuppositum et motivum seu causa: a condicione enim pendet matrimonii validitas, a postulato seu praesupposito et a motivo deter-

---

Romana in *Ausculana* 1712, 31 Jan. 1716 et 20 Febr. 1717 coram *Crispo*; *Decisiones S. R. Rotae*, vol. VI. p. 327, nn. 8-9, dec. 28 Nov. 1914, coram *Heiner*; vol. VII, p. 51, n. 10. dec. 13 Februarii 1915, coram *Mori*.

[9] *Decisiones S. R. Rotae*, vol. XXIII, p. 318, n. 5, dec. 25 Julii 1931, coram *Parrillo*. Cfr. etiam vol. VI, p. 30, n. 9, dec. 28 Januarii 1914, coram *Mori*; vol. VII, p. 51, n. 10, dec. 13 Februarii 1915. coram *Mori*; vol. IX, p. 51, n. 3, p. 57, n. 10, p. 58, n. 13, dec. 27 Martii 1917, coram *Many*; vol. XX, p. 453, n. 4, dec. 24 Novembris 1928, coram *Jullien*.

[10] Scribit M. Bonacina: condicio « *si domi semper manseris*, ant *vestem nigri coloris semper gesseris*..., sunt contra indissolubilitatem... si contrahens non habeat intentionem contrahendi, nisi alter coniux revera semper domi maneat, vestemque nigri coloris semper gerat. Secus dicendum est, si absolute intendat contrahere, et imponere alteri coniugi obligationem non exeundi e domo ». (*Opera Omnia*, tom. I, *De S. Matrimonii Sacramento*, quaest. II, punct. X, n. 12). Cfr. etiam A. Bertola, *Il Matrimonio religioso*, ed. 1953, p. 163; E. Graziani, *o. c.* p. 77.

[11] O. Giacchi, *Il consenso nel matrimonio canonico*. Milano, 1950, pp. 166-167.

[12] D. XXXV, 1, 19. Cfr. *Decisiones S. R. Rotae*, vol. XV, p. 175, n. 5, dec. 23 Julii 1923, coram *Maesimi*; dec. cit. coram *Parrillo*, n. 17.

minatio ad matrimonium ineundum. Ad dignoscendum vero utrum de motivo vel postulato agatur, an proprie de condicione, attendendum est utrum onus seu obligatio alteri contrahenti imposita extra matrimonialem contractum maneat, an e contra, actu positivo voluntatis, in contractum ipsum ingrediatur, ita ut eidem oneris acceptationi aut praestationi matrimonium subiiciatur: in primo casu habetur motivum vel postulatum, in altero condicio;

c) si contrahens noluit matrimonium valere nisi postquam aliquid factum sit, sub condicione suspensiva contraxit [13]; si contrahens voluit vinculum dissolvi quando onus seu obligatio assumpta non servetur, contraxit sub condicione resolutiva, seu contra bonum Sacramenti; si contrahens, post acceptationem oneris, seu obligationis adimplendae post nuptias, ex parte alterius, statim voluit matrimonium valere, nulla sub condicione contraxit, sed sub praesupposito vel propter causam, quibus a pluribus additur modus [14];

d) si matrimonium consummatum fuit ante susceptae obligationis exsecutionem, praesumendum non est fuisse sub condicione suspensiva contractum, quia usus non datur iuris adhuc non existentis [15]; immo praesumi nequit matrimonium initum fuisse sub con-

---

[13] Cfr. *Decisiones cit.* coram *Massimi*, n. 4, et coram *Parrillo*, n. 17.

[14] « in talibus casibus saepe abest forma cuiuspiam conditionis. Contrahens siquidem, obtenta ab altera parte promissione certam rem praestandi, non iam alligat consensum suum sinceritati illius promissionis, sed potius ita dispositus est: ' Contraho tecum, quia mihi illam promissionem fecisti ': aliis verbis, non habetur conditio ipsi consensui matrimoniali apposita, sed *causa* seu motivum, ob quod quis contrahit. Vel habetur *modus*, qui pariter ac causa ipsum consensum matrimonialem non ingreditur: seu agitur de adiectione oneris, ad quod post nuptias implendum unus ex contrahentibus vult obligare alterum, puta si quis dicit: ' Contraham tecum, sed tu post nuptias hoc vel illud facere debes, sicuti convenimus '. Modus ' interdum iisdem verbis, quibus conditio, interdum ipso conditionis nomine significatur: et in eo solum a conditione distat, quod haec actum et dandi obligationem suspendit, modus non item ' ». (*Decisiones S. R. Rotae*, vol. XXIX, p. 58, n. 4, dec. 1 Februarii 1937, coram *Wynen*. Cfr. tamen et vol. XXXIV, p. 818, n. 5, dec. 17 Decembris 1942, coram *Grazioli*). Item: « in casu naturam induit oneris a muliere acceptandi, praecise *ut* et *antequam* inter illos sermo esset de matrimonio ineundo: quo scilicet assumpto, vir ad matrimonium sese induxisset; et non assumpto, matrimonium respuisset » (*Decisiones S. R. Rotae*, vol. XXXII, p. 391, n. 12, dec. 27 Maii 1940, coram *Grazioli*).

[15] « ... in casu omino improbabile est mulierem conventam noluisse contractum matrimonialem statim valere. Etenim Helena matrimonium illico consummavit... Neque dicatur... eam non intellexisse matrimonium per conditionem de futuro suspensum manere. *Cum enim nihil volitum quin praecognitum, sponsa conditionem de futuro non posuit, si suspensionem* contractus inde ortam nesciebat.. intendere suspensionem contractus, quod absque praevia intelligentia fingi nequit » (*Decisiones S. R. Rotae*, vol. XXIX, p. 61, n. 8, dec. 1 Februarii 1937, coram *Wynen*; item vol. XXX, p. 161, n. 16, dec. 7 Martii 1938, coram *Grazioli*).

dicione suspensiva, quoties condicio eiusdem consummationem necessario praesupponat (e. g. condicio educandi omnes filios in religione catholica); neque praesumitur resolutiva condicio si, verificata rerum condicione quae statuta dicitur tamquam terminus vinculi, vita coniugalis protracta est;

e) in dubio magis praesuppositum vel motivum praesumitur quam condicio, seu « standum est pro illo voluntatis actu qui facilius et communius admittitur, quique magis favet validitati matrimonii » [16].

VII. *Quoad primam sententiam* recte animadvertitur in condicione potestativa, quoties de vera condicione agatur, tamquam obiectum generatim constitui factum vel eius omissionem, non simplicem promissionem compartis, etsi sincerae; praeterea contingere posse quod altera pars ficte promiserit oneris praestationem ,et subinde, matrimonio celebrato, vel mutatis rerum adiunctis vel facti poenitens, condicionem adimpleat: « hisce in casibus matrimonium, iuxta allatam theoriam, suo robore obiective destrueretur, non obstante quod condicio facto fuerit impleta et iuxta voluntatem eius, qui illam apposuerat » [17]: denique rarissime accidit in praxi ut quis, positive dubitans de sincera acceptatione postulati ex parte alterius contrahentis, matrimonium a sinceritate promissionis alterius contrahentis pendere velit: quod autem extra ordinem seu insolitum est, praesumendum non est.

Quoad alteram sententiam adnotamus accidere etiam posse, etsi de facto perraro, ut quis matrimonium nolit valere, nisi alter contrahens sincere promiserit aliquid post nuptias faciendum vel omittendum; neque impossibile esse ut quis aliquid faciendum vel omittendum post nuptias exigat tamquam condicionem perpetuitatis contractus [18]. Hoc tamen, secus ac tenent fautores *tertiae* opinionis, inter catholicos fideles omnino infrequens est, ideoque praesumi non potest.

Denique condicio potestativa ex se non est recensenda inter simpliciter turpes, quia propositum utendi coniugio, etsi condicio sit suspensiva, probandum est in singulis casibus, nec ex natura profluit huius condicionis; pluries vero condicio potestativa de facto

---

[16] *Decisiones S. R. Rotae*, vol. XXXI. p. 419, n. 5, dec. 17 Junii 1939, coram *Jullien*. Cfr. etiam e. g. P. Gasparri, *De Matrimonio*, ed. 1932, n. 85.

[17] Decisio cit. coram *Parrillo*, n. 21.

[18] Insuper, sub iure Codicis, secus ac Decisio cit. coram *Parrillo* n. 8 contendit, copula praesumptionem iuris non inducit revocatae conditionis; cfr. e. g. F. X. Wernz-P. Vidal, *Jus Matrimoniale*, ed. 1928, n. 51; F. M. Cappello, *De Matrimonio*, ed. 1947, n. 640; *Decisiones S. R. Rotae*, vol. XVIII, p. 221, n. 9, dec. 11 Augusti 1921, coram *Solieri*; vol. XXIX, p. 7, n. 2, dec. 9 Januarii 1937, coram *Heard*; contra vol. XIV, p. 160, n. 3, dec. 18 Martii 1922, coram *Grazioli*.

suspensiva non est. Condicio potestativa dicenda tamen est simpliciter turpis quando est suspensiva et simul adsit propositum utendi coniugio, dum adhuc condicio pendet. Si reapse sit turpis, suum nihilominus exserit effectum, quoties tamquam vera condicio apponatur.

VIII. Concludendum est ergo [19] communes et frequentissimos esse casus in quibus factum praestandum vel omittendum post celebrationem nuptiarum, est merum postulatum seu praesuppositum (prout accidit si contrahens neque cogitat de matrimonio ipso suspendendo, aut resolvendo, aut subiiciendo praestationi operis; aut coniicitur e. g. ex continuatione vitae coniugalis, etsi compars modo contrario se gerat); alios casus fingi posse in quibus obiectum condicionis est eiusdem facti sincera promissio (quod probari potest, praeter quam verbis quibus usus est condicionem apponens, adiunctis matrimonium antecedentibus vel subsequentibus) [20]; alios in quibus obiectum condicionis est obligationis inchoata exsecutio cui matrimonium suspenditur [21] (gravissima praesumptio condicionis suspensivae haberetur dilatione copulae usque ad inchoatam verificationem eventus: e. g. ad institutionem cohabitationis in domo parentum uxoris); alios tandem dari casus, in quibus obiectum condicionis est factum ipsum quo matrimonium resolvitur (hoc pariter probari potest sive directe positivo voluntatis actu explicite vel

---

[19] Cfr. *Decisiones S. R. Rotae*, vol. XXXI, pp. 416-419, nn. 4-5, dec. 17 Junii 1939, coram *Jullien*; vol. VI, p. 327, nn. 8-9, dec, 28 Nov. 1914, coram *Heiner*.

[20] Cfr. e. g. *Decisiones S. R. Rotae*, vol. XIII, p. 214, nn. 5 ss. dec. 11 Augusti 1921, coram *Solieri*; vol. XV, p. 179, n. 16, dec. 23 Julii 1923, coram *Massimi*; et supra nota 7.

[21] Cfr. D. XXXV, 1, 29: « Haec condicio ' si in Capitolium ascenderit ', sic recipienda est ' si cum primum potuerit Capitolium ascendere ' ». Adnotatum tamen fuit (cfr. Max Ritter Hussarek von Heinlein, *Die bedingte Eheschliessung*, Wien, 1892, p. 185), Ius Romananum veram non habuisse negotii condicionati theoriam, sed singula negotia iuxta practica criteria considerasse; et insuper decrevisse (cfr. D. XXXV, 1, 24 et D. L, 17, 161) ut aliquando negotia condicionata tamquam valida haberentur etsi condicio verificata non fuisset, quod in matrimonio non admittitur (can. 1081, § 1 et can. 1092, n. 3).

Quod implementum momentaneum sufficiat ad condicionem implendam, coniici potest aliquando ex ratione vel fine propter quem fuit adiecta (cfr. I. B. De Luca, *o. c.*, L. XIII, *De pensionibus*, disc. LXXXI, n. 25). Ad condi cionem suspensivam dignoscendam, valet regula tradita a F. Schmalzgrueber: « attendendum est utrum contrahens voluerit statim actum esse validum, an vero ut esset validus primum quando condicio est impleta. Si statim voluit esse validum, sed alterum contrahentem obligare voluit ad aliquid postea faciendum, censeri debet contractum esse sub modo factum, si vero voluit ut primum tunc valeret quando conditio est impleta, praesumi debet contractum esse initum sub conditione proprie dicta et suspensiva » (*o. c.*, L. IV, tit. 5, n. 140). De condicione suspensiva, quae natura sua unico momento constat, seu potius impletur, cfr. etiam E. Graziani, *o. c.*, pp. 39-40.

implicite manifestato a nupturiente, sive indirecte circumstantiis antecedentibus, concomitantibus, subsequentibus) [22].

Nisi certo constet: 1) aut de condicione de praesenti (qua nempe matrimonialis contractus pendet a sincera oneris susceptione) quae, iuxta ea quae diximus (n. VII), non praesumitur; 2) aut de condicione resolutiva (seu de voluntate divertendi nisi obligatio adimpleatur), quae pariter, iuxta iam dicta (n. VII), non praesumitur, nec admittitur nisi actus positivus voluntatis contra perpetuitatem vinculi plene probetur; 3) aut de condicione suspensiva (qua contractus suspenditur usque ad inceptam exsecutionem obligationis, quod vix probari poterit, nisi consummatio matrimonii usque ad illud momentum non differatur), concludendum est non de condicione agi, sed de praesupposito seu postulato vel de causa seu motivo vel de modo [23]. Condicio enim verbis et factis probanda est, neque confici potest mera coniectura quae voluntate subiecti quomodocumque expressa non nitatur; neque probatur nisi ipsius obiectum sit univocum et definitum.

DINUS STAFFA

---

[22] Cfr. etiam casum cit. in Fontibus C. I. C., vol, V, nn. 3376, 3385, 3393, decisum a S. C. Concilii die 21 Junii 1732: « Johannes, catholicus, matrimonium iniit cum Cbristina, acatholica, ex qua genuerat filium, sub hac condicione: *Si Christina mecum se contulerit ad meam patriam catholicam.* Deinde Johannes cohabitavit cum Christina et alium filium ex ea suecepit. Cum autem condicio esset adimplenda, noluit mulier in patriam viri se transferre; quapropter Johannes eamdem dimisit, dicens: *Nolo te amplius in meam*, nec teneor ultra ad contractum. Postea rem habuit cum Anna eamque duxit in patriam. S. C. Concilii probatam censuit condicionem dissolubilitatis in eventum, quo Christina comitari noluisset virum in patriam suam catholicam reversurum ».

[23] Huic conclusioni non contradicit regula: « quoties alicuius voluntas clara non sit, eam esse interpretationem adhibendam, ex qua dispositio suum sortiri possit effectum - S. R. Rota, in *Maeroten.*, Fideicommissi, coram *Panzerolo*, diei 7 Februarii 1675, dec. 574, § 23, part. V, tom. II, Recentior., et in *Tarentina*, coram *Sacrato*, diei 6 Januarii 1609, dec. 204, § 2, part. III, Recent., quam memorat Decisio 7 Martii 1938 coram *Grazioli* (*Decisiones S. R. Rotae*, vol. XXX, p. 156, n. 6), quia dispositio quae condicio non est, non potest condicionis effectum sortiri, sed alium.

JUS ECCLESIASTICUM

ITALIA

ANCORA IN TEMA DI ESECUTORIETA' IN ITALIA DELLE SENTENZE SANMARINESI DI ANNULLAMENTO DI MATRIMONIO.

Leggiamo in « Sinossi giuridica — art. 797 C. P. C. (3ª) Fasc. 666 (1954) » un'interessante nota del Prof. A. Montel con la quale l'illustre Autore ha postillato talune decisioni [1] delle Corti di merito italiane in materia di annullamento di matrimonio, e precisamente in materia di annullamenti derivanti dal coordinamento delle convenzioni italo-Sanmarinesi con il testo modificato dell'art. 72 C.P.C. che — come è noto — attribuisce determinati maggiori poteri al P. M. in « re matrimoniali ».

Abbiamo sempre ammirato l'acume giuridico dell'illustre A., ed indubbiamente acute sono le osservazioni che egli prospetta anche nella delicata e complessa materia dell'esecutorietà in Italia delle sentenze sanmarinesi di annullamento di matrimonio.

Ci pare, tuttavia, che all'acutezza dell'indagine non faccia riscontro, nelle questioni matrimoniali, il rigore giuridico proprio degli scritti del prof. Montel su qualsiasi altro argomento [2].

Probabilmente l'egregio A. non avverte che, volendo considerare i rapporti coniugali infelici « con comprensione ed umanità », finisce coll'imporre al suo ingegno la sterile fatica di ricercare nella norma obiettiva una soluzione che non c'è, la possibilità — cioè — di spezzare la catena dell'indissolubilità del vincolo costituente ancor oggi la base del nostro diritto matrimoniale.

---

[1] Le decisioni postillate sono: Decreto Presidenziale della Corte di Appello di Torino (5.1.1954): Corte d'App. di Torino. Pres. Piras. Est. Ferrari - 9-23 febbraio 1954 Proc. Gen. c/ Pellizzari e Beltramo: Decreto Presidenziale della Corte d'Appello di Torino (30.3.1954): Decreto Presidenziale della Corte di Appello di Firenze (27.4.1954): Corte di Appello di Roma - Pres. Manca. est. Laporta - 2 dicembre 1953 - Fabrizio c. Berberian Siranouch: Corte di Appello di Roma - Pres. Manca. est, Laporta - 18.11. 1953 - P. M. c/ D'Onofrio e Bucciarelli: Corte di Appello di Bari - Pres. Chieppa. est. Parmigiani - 14 aprile-8 giugno 1954 - Proc. Gen. c/ Russi e De Matteis: Corte d'Appello dell'Aquila » Pres. De Feo. est. Conte - 17.3.1953 - Tromba c. Carezza e P. M.: Corte d'Appello di Roma - Pres. Manca. est. Laporta, - 12.12.1953 - P. M. c/ Macciocchi ed Amendola.

[2] Invero l'opera « *Problemi di vario diritto* » - G. Giappichelli - Ed. Torino - dello stesso Autore merita l'attenzione ed il plauso degli studiosi in ogni sua parte ad eccezione delle « Noterelle di diritto matrimoniale » che costituiscono una netta presa di posizione a favore delle note decisioni della Corte d'Appello di Torino adottate in contrasto con gli insegnamenti della Suprema Corte di Cassazione, ed in contrasto - sopratutto - con lo « ius conditum ».

* * *

Nella nota in esame il Montel sostiene che dalla diversa formulazione dell'art. 17 C. C. abrog., dall'art. 31 delle Disp. di Att. del C. C., vig., si deve dedurre che mentre « secondo il sistema del Cod. 1885, la doppia dichiarazione, (di trasferimento della residenza in altro luogo con l'intenzione di fissarvi la sede principale dei proprii affari), era richiesta come prova dell'*intenzione* di fissare in altro luogo il domicilio ed ammetteva equipollenti, nel sistema oggi vigente... la doppia dichiarazione è invece prevista quale prova, non della intenzione, ma del *trasferimento* della residenza »; ed all'insegnamento della Suprema Corte di Cassazione — secondo il quale, anche per il Codice vigente, « le risultanze dei registri anagrafici attestanti il trasferimento della residenza non hanno valore costitutivo di questo e forniscono soltanto la prova della fatta dichiarazione » [3], ed all'obiezione « che la prova della fatta dichiarazione in corrispondenza con la durata del giudizio di annullamento escludono che si possa parlare di residenza e convincono della precarietà del mutamento di dimora, attuato al solo fine di legittimare la competenza del giudice adito », l'A. risponde che, negandosi alla doppia dichiarazione almeno il valore di presunzione di effettivo trasferimento, si urta contro il disposto dell'art. 31 precitato, e che « ogni trasferimento di residenza — come del resto ogni atto umano — è evidentemente posto in essere per un dato scopo, ma questo è irrilevante quando l'ordinamento prende in considerazione il fatto oggettivo e non lo scopo di esso ».

Non si può negare che la « doppia dichiarazione » abbia valore presuntivo che il « trasferimento » sia effettivamente seguìto all'« intenzione » di trasferirsi, ma si tratta di « praesumptio iuris tantum » contro la quale è ammessa la prova contraria [4], ed il P. M. — nei giudizi in questione — ben può produrre documenti e dedurre mezzi di prova per dimostrare che il trasferimento, non è stato effettuato o è stato effettuato al solo fine di radicare all'Estero una causa matrimoniale.

E così si entra nel vivo della seconda questione.

Non è esatto che al giudice di merito sia precluso di accertare, nel fatto giuridico « trasferimento di residenza », (come in qualsiasi altro fatto giuridico in sé rituale, ma suscettibile di ulteriori conseguenze giuridiche), se l'agente abbia inteso eludere una norma di ordine pubblico.

---

[3] Sul valore probatorio dei dati anagrafici si consulti: Cass. Civ. III Sez. (19. 4.1551) Pres. Curcio, est. Lenti, P. M. Toro - De Luca c/ Venneri.

[4] « Le risultanze dei registri anagrafici fanno fede fino a prova contraria », Cass. Civ. Dec. n. 450 del 1953.

Infatti rientra nel potere del magistrato di stabilire se un fatto giuridico in sè lecito — e come tale potenzialmente idoneo a realizzare ulteriori situazioni prevedute dalla legge — si risolva nel presupposto, necessario e maliziosamente preordinato, di attuare la violazione di una norma di carattere imperativo, per realizzare — cioè — il fine ultimo in concreto perseguito dalle parti.

E' appunto, il caso in esame in quanto una volta accertata l'illeceità del fine voluto da colui che traferisce la residenza, il mezzo — ossia il trasferimento stesso — non è più idoneo a spiegare alcuna efficacia giuridica.

Non pare il caso di aggiungere —tant'è ovvia la considerazione — che l'illeceità del fine non può venir meno in funzione della liceità del mezzo usato per conseguirlo.

L'A. nega, poi, che il P. M. — comunque — possa esercitare i suoi poteri « in forme diverse da quelle che la legge stabilisce per le parti », per cui è chiaro che il P. M. - ove intenda dare le prove di date circostanze — non potrà limitarsi ad esibire un rapporto di informazioni, ma dovrà dedurre una regolare prova nelle forme e con le garenzie di legge.

L'obiezione non pare fondata.

Rilevammo in altra sede [5] che il P. M. — processualmente considerato — rappresenta una figura complessa, munita com'è di poteri diversi sia nel processo penale, che nel processo civile.

Sebbene il nuovo codice di rito — pur avendo risolte le più dibattute questioni in ordine alla estensione dei poteri spettanti al P. M. nel processo civile — non ha definito quali siano la posizione e la natura di tale organo, cionondimeno, tenendo presente il « fine » ultimo cui tende l'opera del P. M. [6] — può affermarsi, a parte i varii orientamenti della dottrina e della giurisprudenza, che il P. M. — *neppure nelle questioni civili, nelle quali deve intervenire, è parte nell'accezione normale del termine.*

Invero il P. M. nulla chiede in nome proprio ma agisce come organo dello Stato nell'esercizio di una pubblica funzione per l'attuazione di un potere — dovere che si collega ad un interesse superiore a quello delle parti in causa, interesse che può sussistere anche in contrasto con gli interessi privati dedotti in giudizio. Se così è, la tesi sostenuta dal Montel resta evidentemente svuotata di ogni valore, considerando sopratutto che nella ipotesi in cui si

---

[5] Lenti: « Sentenza pronuciata nel territorio della Repubblica di S. Marino - Precedenti di delibazione - Intervento del P. M. in « Archivio di Ricerche Giuridiche » fasc. 9-10 del 1954, pag. 962 e segg.

[6] Il « fine » perseguito dal P. M., infatti, non varia nella sostanza col vario atteggtarsi del pubblico interesse nelle singole fattispecie prevista dalla norma obiettiva.

tenti di eludere una norma di natura imperativa, la specifica funzione del P. M. si evidenzia in tutta la sua ampiezza.

In relazione all'art. 5 della Convenzione italo-sanmarinese in vigore osserva, ancora, l'A. che « la Corte di Bari aggiunge alla norma di legge, requisiti che essa non pone, non trovando il benchè minimo fondamento nè nel testo della Convenzione, nè in altre norme ».

Non pare che la Corte di Bari sia incorsa nell'errore sopra indicato.

La decisione in parola [7] fonda, infatti, sul presupposto che il giudizio sia stato fraudolentemente istaurato in S. Marino e che « questo concorde intendimento delle parti non può conseguire il divisato scopo se non contro il contenuto sostanziale delle norme di diritto cui si riferisce ».

Non giova, allora, sostenere che nel caso « sussistano i requisiti minimi di cui all'art. 5 », appunto perchè non può attribuirsi — per le ragioni esposte in precedenza — alcuna efficacia giuridica ad una situazione creata artificiosamente per la realizzazione di un fine « in fraudem legis ».

L'A. rifacendosi, poi, ai « moventi » di ogni atto umano evidentemente dimentica che gli « scopi » o motivi determinanti gli atti o i negozi giuridici oltre che « leciti » cioè conformi a legge, o « indifferenti » per il diritto, possono essere « illeciti », cioè, contrari alla norma obiettiva, e sopratutto dimentica che esistono situazioni giuridiche che sono il risultato di una molteplicità di atti giuridici legati da uno stretto nesso causale.

Orbene in tali ipotesi — nell'ipotesi, cioè, che l'illeceità risieda soltanto nell'atto finale che si vuol porre in essere — ben può il magistrato negare agli atti intermedi, necessariamente predisposti per la realizzazione di atti successivi, quell'efficacia che in sè avrebbero se illecito non fosse il motivo determinatore.

Così posta la questione è evidente che non gioverebbe obiettare che altra cosa è il motivo prossimo, ed altra cosa il motivo remoto, e che soltanto il primo, e non anche il secondo, può riflettersi nell'illeceità dell'atto o negozio giuridico conclusivo finale.

L'A. osserva, infine, che la Convenzione italo-sanmarinese del 19-4-1953, non ancora entrata in vigore, e mediante la quale, tra l'altro, gli Stati contraenti hanno convenuto di modificare gli artt. 5 e 6 della precedente Convenzione nel senso che « quando la decisione concerne una causa matrimoniale fra cittadini dello Stato

---

[7] Si tratta della decisione della Corte di Appello di Bari (10 aprile-8 giugno 1954) indicata alla nota sub 1.

nel quale essa è invocata, la condizione enunciata nel n. 1 concorre soltanto se la parte convenuta aveva, al momento della istaurazione del giudizio, la residenza effettiva, da certificarsi dai rispettivi consoli, di almeno un anno nello Stato nel quale la decisione è stata pronunciata... e che la decisione della C. A. o del giudice di appello è soggetta alle impugnazioni consentite dalla legge contro le sentenze pronunciate in grado di appello » — sta a dimostrare da un lato che allo stato attuale della legislazione « il P. M. non ha veste per impugnare i provvedimenti di esecutorietà delle sentenze sanmarinesi », e d'altro lato che « la durata della permanenza in S. Marino può avere oggi un minimo di durata, e può, anzi, essere formale e non effettiva ».

Nessuna di tali obiezioni ha fondamento.

L'inserzione esplicita nel nuovo patto della facoltà d'impugnativa del P. M. significa soltanto che lo Stato di S. Marino ha preso « formalmente » atto di una situazione pacifica e sostanzialmente fuori discussione per ambedue le parti contraenti, il diritto — cioè — dello Stato italiano di estendere a suo piacimento « in re de qua agitur » i poteri del P. M., estesi in effetti con la modifica apportata all'art. 72 C. P. C. [8].

Infatti i patti internazionali — come qualsiasi altro patto — obbligano i contraenti a non modificare unilateralmente gli impegni assunti: « ma « la funzione del P. M. » non ha costituito oggetto, esplicito o implicito, della Convenzione Italo-Sanmarinese del 28-2-1946, onde nell'ambito dell'attività di tale organo l'Italia poteva liberamente disporre modificando i poteri del P. M.

Il termine minimo di un anno di permanenza a S. Marino stabilito dalla nuova Convenzione sta a dimostrare, poi, che le parti contraenti hanno voluto vincolare la discrezionalità di valutazione del giudice entro un dato limite minimo, ma non di vietare al giudice stesso di ritenere « fraudolenta » una permanenza in S. Marino all'anno superiore.

Nè oggi, nè domani la permanenza dovrà essere fittizia: domani — anche una residenza effettiva — sarà inefficace se non protratta per un anno.

Ed in ciò solo è il contenuto dell'innovazione.

Neppur vero è che la facoltà certificativa demandata al Console sarà per l'avvenire vincolante per il magistrato.

E' vero al contrario che la modificazione tende a circondare la certificazione di maggiori cautele; ma non tende ad escludere che anche una certificazione consolare, carpita con raggiri e comunque

---

[8] L. 30.7.1950, n, 534. modificativa dell' art. 72.

non rispondente alla realtà certificata, possa essere dichiarata inefficace.

Il requisito, infine, della « effettività » della residenza ha evidentissimo carattere interpretativo della precedente Convenzione, ed affatto innovativo; la quale ultima interpretazione, oltre tutto, urterebbe contro lo spirito della Convenzione attuale la quale non può certo ritenersi indulgente verso le « frodi » matrimoniali.

Prof. Giulio Lenti

RECENSIONES

A. Vermeersch, S. J. - I. Creusen, S. J., *Epitome Iuris Canonici cum commentariis*, Tomus II, ed. VII, Mechliniae-Romae 1954.

Superfluum habemus laudibus commendare *Epitome Iuris Canonici* cl.mi A. Vermeersch, a I. Creusen recognitum, quippe quod omnibus canonistis optime sit notum. Plures editiones factae ceteroquin favorem quem in dies Epitome obtinet demostrant. Tomus II continet commentarium ad Librum III, *De rebus*, C. J. C.: cl.mi AA. materiam, revera sat amplam, claro et brevi stylo explicant, quin omittant hic inde adnotare bibliographiam qua quis uti posset ut alicuius quaestionis profundiorem sibi acquirat canonicam scientiam. Haec septima editio aliis praecedentibus editionibus praestat, tum quia typografice melius curata est, tum quia rationem habet etiam ultimorum documentorum S. Sedis (e. g. const. « *Christus Dominus* » quoad ieiunium eucharisticum). Sententiae AA. circa puncta controversa obiective proponuntur, illa vero eligitur quae verior videtur, attenta littera Codicis. Non omnes tamen omnibus sententiis a cl.mis AA. propositis, subscriberent, ut e. g. illi, iuxta quam « usus habet ut parochus censeatur ex delegatione pro tota dioecesi competens — ad audiendas sacramentales confessiones —, *nisi contrarium expresse statuatur* »: praesumptio enim est ut parochus non sit competens, non ut sit competens.

P. E. Canzoneri O. P.

E. Eichmann - K. Mörsdorf, *Kirchenrecht*, Band III, *Prozess- und Strafrecht*, 7. verbesserte und vermehrte Auflage, Paderborn, Ferdinand Schöningh, 1954, br. 18 DM, geb. 22 DM, Theologen-Ausgabe 18. DM, in 8°, pp. 504.

In hoc Periodico tum de editione sexta tum de primis voluminibus septimae editionis recensio facta est, quae extulit valorem iuridicum laudati operis. M. in praefatione bene notat: occasione novae ordinationis Curiae Romanae a. 1908 tribunalia Pontificia restituta sunt; decem annos post per C. J. C. tribunalia dioecesana et metropolitana nova ordinatione gaudere coeperunt, quae largam messem sperare sivit, eo magis, quo efficacius ipsa Sedes Apostolica per salutaria Decreta, quae non solum ius Codicis illustrarunt et suppleverunt, sed etiam ultra Codicem progressa sunt, studium administrandae in inferioribus tribunalibus iustitiae promovere conata est. Huc pertinet cel. illa Instructio de d. 15. aug. 1936. Insuper ius processuale Ecclesiae Orientalis respiciendum erat, in quantum ius Codicis illuminat et supplet. In jure poenali auctor specialem sollicitudinem tribuit principiis generalibus clare proponendis, quin iuste confessariorum desideria praeteriret. M. in exponendo libro IV. C. J. C. sequenti modo procedit: in Introductione tractat in sex paragraphis de conceptu et scopo processus canonici necnon de competentia Ecclesiae; porro de diversis in iudicando viis ineundis et de modo procedendi; porro de competentia in via iudiciali aut administrativa, tandem de administratione tribunalis. Data introductione materia iuxta ordinem Codicis in tres partes dividitur.

Circa Introductionem in librum IV. haec mentione digna sunt: M. bene notat tuitionem iurium a lege membris Ecclesiae concessam generaliter prae se ferre characterem iuris publici; unde non singulis committitur, utrum vel non velint tolerare aut propugnare statum vitae legi contrarium, v. g. nullitatem matrimonii aut s. ordinationis; in casu privatae utilitatis Ecclesia generaliter relinquit partibus, utrum velint via processuali sua iura defendere. Post Codicem publicatum Curia Paderbornen. proposuit S. C. C. dubia circa sedilia in ecclesia pro pecunia locanda censuitque huiusmodi causas iudicialiter decernendas esse mixti fori; immo competere iudici ecclesiastico a partibus invocato facultatem ipsas mittendi ad iudicem civilem. M. adscribit sedilia rebus temporalibus spirituali adnexis negatque ius iudicibus ecclesiasticis partes iustitiam ecclesiasticam invocantes adsignandi iudici civili (S. C. C. in Paderbornen. 11. XII. 1920). Loquendo de privilegio fori repetit dicta in primo volumine: exclusiva competentia ex privilegio fori non viget in illis locis, in quibus privilegium abrogatum est, prout in Germania; p. 21 allegantur illi termini technici, qui significant processum iudicialem, administrativum, utrumque. De processu iudiciali *contra* actus administrationis M. optime nos informat, notatque, loquendo de C. 1557 par. 1 n. 1, etiam uxores vi. c. 1112 gaudere eodem privilegio; can. 15 de Iudiciis Cod. Orient. expresse nominat « *horumque coniuges* ». Competentia fori vi contractus (c. 1563) summam vim amisit per declarationem authent. 14. jul. 1922, quae tamen non est extendenda ad c. 1964. M. discutiendo quaestionem de instantiis recte lectorem certiorem facit de triplici in jure processuali significatione vocis « Instantia ». Primo sumitur pro *petitione* partium instruendi processum, cui opponitur ille « ex officio »; secundo significat cursum processus a litis contestatione usque ad finem, quibus iudicium terminatur (litis instantia, tit. VIII de iudiciis); tandem pro pendente causa in tribunali *certi ordinis* (in prima, secunda, tertia instantia; cf. c. I, II. tit. II). M. explicando competentiam tribunalis primae instantiae convenienter monet: *Curia* diocesana non est persona moralis; unde nec convenire nec conveniri iudicialiter potest; item ponit quaestionem: si vi Instructionis S. C. de Sacr. 15. VIII. 1936 art. 48 par. 2 ab advocatis postulatur doctoratus saltem in jure canonico et triennium tirocinii laudabiliter expleti, nonne in iudice ecclesiastico eaedem qualitates essent desiderandae? Circa iudices synodales auctor ita sentit: singuli iudices fruuntur potestate delegata; sed collegium qua tale gaudet potestate ordinaria, etsi in casu officialis sit extra iudicum collegium. Omnis iudex eadem persuasione gaudebit: iudex *instructor* vocatus est ad munera explenda, quae tangunt ipsam Causae substantiam. Ideo summae regulae et normae corresponderet, si ipsum collegium qua tale examen partium et testium perficeret aut si saltem unus ex iudicibus hoc munere fungeretur. Qualis quandoque successus, si processus a parochis instruitur qui non dubitant interrogare matrem: ex quo tempore tibi filia nota est? Et ipsa mater admirando capacitatem Instructoris respondet: ex tempore nativitatis. Nomen

« Rota » M. sequenti modo explicat: nomen reducendum est ad usum sacralem, iuxta quem res graves in loco clauso et sacro suam decisionem invenerunt. Romae graves actus iurisdictionales in « Rota porphyretica » Basilicae S. Petri sunt exerciti. Quo ex facto graviores causae processuales considerari consueverunt tamquam materia ad « Rotam » pertinentes. Lapidi pavimenti rotundo correspondit in aulis Tribunalium dispositio sedium in forma rotunda; quae dispositio iam locum habuit in Rota Romana tempore exilii Avenionen. Nomen « Auditor » pro membris S. R. R. testatur iudices rotales primitus fuisse solummodo iudices Instructores. M. ventilat etiam quaestionem: quodnam tribunal est competens, si una litigantium pars appellat in secunda Instantia ad S. R. R., altera autem ad tribunal metropolitanum? Quaestionem pro Orientali Ecclesia solvit can. 408: « si alia pars ad tribunal Apostolicae Sedis appellaverit, alia ad aliud competens, appellatio prosequenda est coram tribunali Apostolicae Sedis » Iuste notatur ad can. 1612 par. 2: lex non est plene perspicua. Can. 1613 par. 2 in can. 128 par. 2 Codicis Orientalis clarius circumscribitur, excludendo etiam assessorem et auditorem; item can. 1619 par. 1 in can. 134 Ecclesiae Orientalis habet post verba: « ne suppleat » hanc ulteriorem explicationem: « excepto casu evidentis negligentiae vel doli partium, vitandae iniustae sententiae causa ». S. R. R. tempus feriarum autumnalium alio tempore tenet ac censet M. p. 84 nota 1; cf. Allocutiones R. P. sub initium octobris. Auctor clare determinat legitimam personam standi in iudicio. Iuxta Pinna, Praxis iudicialis canonica, p. 262 nota 2 R. P. die 14. dec. 1951 approbavit novam scalam honorariorum in S. R. R. Ad can. 1668 M. censet: ipsum non clare exhibere actionem ratione iuris et ratione possessionis; Schemata E. F. G. habent: « unice innixus possessionis facto ». M. intelligit can. 1683 de confirmatione R. P. data in forma specifica (motu proprio et ex certa scientia »). M. tenet sententiam: non competit Tribunalibus denegandi Promotori iustitiae ex officio accusante matrimonium capacitatem standi in iudicio. Ad can. 1758 M. recte docet: « iudicium » non sumendum esse in sensu technico; item ad can. 1791 par. 1: « unius testis depositio plenam fidem non facit ». M. bene monet: haec regula valet, si non alia argumenta praesto sunt, v. g. documenta, peritiae peritorum etc.; quo in casu testimonium unius testis summi momenti esse poterit; explicatur bene in re matrimoniali praesumptio iuris, et probatio per indicia; item notandum terminos « sententia, decretum » in C. J. C. non semper eundem sensum technicum prae se ferre. M. loquendo iuste de certitudine morali allegat allocutionem R. P. ad S. R. R. 1. 10. 1942 necnon de probabilitate maxima seu morali certitudine, notatque difficultates quandoque ex eo originem ducere, quod iudex argumenta probationis ad instar cultoris arithmethicorum numerat, quin argumenta directa et indirecta per modum unius ponderet ad mentem Pii XII. Optime M. carpit quosdam abusus in certis Tribunalibus verificatis uti sunt: sessioni iudicum interest defensor vinculi aut promotor iustitiae; tali abusu libertas iudicum limitatur.

Incredibile, sed verum: in ferenda sententia praesens erat defensor vinculi; quando iudex stabat pro nullitate matrimonii, D. V. illegitime praesens comminatus est contra iudicem appellationem hac ex ratione: iudex tenuit nullitatem, D. V. desideravit declarationem validitatis. Notarius non poterit assistere sessioni, in qua fertur sententia. Alius abusus hic: officialis aut Ponens elaborant suum votum; alii iudices simpliciter accedunt huic Voto aut fruentes Voto alterius proprium conficiunt. Tali agendi modo sensus et scopus decisionis collegialis fit illusorius. Alius abusus hic est: communicandi defensori vinculi aut tertiae personae Vota iudicum. Can. 1893 statuit actionem querelae nullitatis contra sententiam intra triginta annos proponendam; Codex Orientalis in can. 419 posuit decem annos. M. in can. 1905 una cum Lega-Bartoccetti sumit « documenta » non solum in sensu stricto, sed etiam pro depositionibus testium, peritiis peritorum, confessionibus partium, explicatque terminum: « legis praescriptum », sed negat hunc terminum posse etiam intelligi de violata lege processuali. Loquendo de compromisso in arbitros M. notat: Pro membris Unionis sacerdotalis in dioecesi Monacen-Frisingen. exstat tribunal clericale arbitrorum; sententia indiget approbatione Ordinarii. In explicando can. 1933 M. notat sensum termini: « delicta publica ». Haud sine ratione censet M. Instructionem S. C. de Sacr. 15. aug. 1936 mutasse in quibusdam normis ipsum ius Codicis allegatque illud anonymum: « incipit lamentatio Vinculi ». Illud « etsi » in art. 6 par. 3 Instructionis sic intelligendum esse censeo; in par. 2 est sermo de uxore *legitime* separate gaudentne *etiam* quodam favore iuris uxor *etsi* non legitime separata? Utique vi *declarationis authenticae* 14. VII. 1922. Speciali mentione digna sunt, quae proponuntur circa causam directam et dolosam nullitatis et circa ius accusandi matrimonium a parte acatholicorum. Examen miraculorum quod attinet, ex pluribus annis, experimenti causa, nova disciplina introducta est. Loco duorum peritorum institutum est *collegium* plurium medicorum; miracula collegialiter examinantur; in casu favorabilis responsi celebratur « praeparatoria ». *Ipso die* Beatificationis hora vespertina Papa descendit in Basilicam veneraturus novum Beatum.

Circa ius poenale notanda sunt: post scopum poenae allegat etiam theorias circa poenam in jure civili vigentes, et adversarios potestatis coercitivae in Ecclesia, inter quos novissime Josephus Klein. Porro dat iustam can. 2222 par. 1 explicationem, disseritque de termino « delictum, crimen ». Iuste monet M. de variata terminologia libri IV et V.; can. 2210 adhibet terminos: « actio poenalis et *civilis* »; qui terminus fuit usitatus in jure ante Codicem, qui utitur voce « actio criminalis et *contentiosa* ». Porro discutitur de terminis « culpa, negligentia, incuria ». Tractatum de conatu delicti aliosque canones M. illustrat exemplis, notatque: vi can. 2209 par. 1 illud « simul » non est restringendum ad idem tempus, sed in Codice habere sensum: « insimul, una cum aliis ». Ad can. 2217 M. tractat difficilem quaestionem de censura ab homine necnon illam disputatam, utrum in jure poenali pu-

bertas pro puellis statuenda sit prout pro pueris i. e. 14 annorum. M. censet: habetur mutatio legis (can. 88 par. 2), ideo doctrina non caret periculo; tangitur etiam ille terminus vario sensu usitatus: « infligere » necnon ille iudex « superior »; porro edocemur de originario sensu « censura ». Loquendo de absolutione censurarum (c. 2254) tangit M. quaestionem a Cappello propugnatam, absolvendi sc. a censura ab homine adhuc occulta, recursu ad S. S. aut impossibili aut difficili; M. ventilat etiam quaestionem de absolutione complicis a Cappello propositam. Can. 2254 est bene expositus. Notanda est definitio apostasiae, haeresis, schismatis, specialiter respicitur egressus ex Ecclesia coram auctoritate civili declaratus necnon condicio Communistarum iuridica, necnon reconciliatio dictorum cum Ecclesia. Si can. 2332 utitur vocabulo « appellare », vox sumenda est in sensu non technico. Ad can. 2343 ventilatur quaestio, utrum nomine « religiosi » veniant etiam novitii aut membra societatum sine votis publicis. Ad can. 2346 iuste notatur: illud « et » inter « convertere » et « usurpare » sumendum esse in sensu « vel »; insuper illud « usurpare » non excludit, ut quidam volunt, raptum et furtum. Valetne etiam pro can. 2347 Decretum S. C. Conc. de 13. VII. 1951? Ad can. 2359 par. 2 M. ponit quaestionem: estne illud « in *primo* gradu » unice referendum ad consanguineos in linea collaterali? Estne illud « in primo gradu » unice referendum ad affines, omni incestu cum consanguineis in linea recta in infinitum et in linea collaterali usque ad tertium gradum inclusive graviter vi can. 2359 par. 2 puniendo? Convenienter notatur in clare exponendo can. 2367: decl. S. C. S. O. de 16. nov. 1934 secum fert mutationem acerbam iuris Codicis; can. 2388 invenitur bene expositus.

Textum sequitur copiosus index materiae. Recensionem non possum concludere nisi repetendo summam laudem, quam dedi sextae editioni et duobus primis voluminibus septimae editionis: opus, quod prodit summam scientiam iuridicam auctoris; opus, studiosis j. c. non satis commendandum.

D. G. Oesterle

Willibald M. Plöchl, *Geschichte des Kirchenrechts*, Band I, 1953, 440 Seiten, Lw. S. 140; br. S. 118, Verlag Herold, Wien VIII, Strozzigasse 8, München 22, Tattenbachstr. 12.

Ill. auctor plurium operum in materia j. c., Willibaldus M. Plöchl, editurus est tria volumina de historia j. c.; primum volumen editum continet historiam i. c. a fundatione Ecclesiae usque ad separationem Ecclesiae Orientalis ab Ecclesia Occidentali (1054). In praefatione P. hanc scribendi rationem indicat: iam tempore studiorum meorum sensi vivaciter hunc defectum: pro profundiore cognitione historiae j. c. nobis deest modernus et completus tractatus; utique nobis prostant eximia antiquiora opera prout Phillips et Hinschius, gaudemus de novis et novissimis monographiis. Princeps inter auctores historiam j. c. tractantes in Austria, Rudolphus Köstler, cui P. suum opus dedicat uti

suo magistro, hoc opus aggressus fuit, sed ratione praematurae mortis remansit incompletum. Defectum, de quo supra, P. vehementius percepit, quando vocatus ad cathedram j. c. fuit. Ex una parte cognovit scientiam nostri juris, quod perfundit, ex saeculis undeviginti scientiam juris in Occidente, uti sat mancam, ex altera autem expertus est exemplum doctorum, prout Kurtscheid, Zeiger, Van Hove, Ebers, Feine, Stickler, qui talem completum tractatum probaverunt possibilem. Tandem studium iuridicum cum suis diversis disciplinis, prout in Universitatibus Studiorum in Austria colitur et excolitur, sivit P. perspicere summum pondus historicum j. c.

Auctor post allegata sigla in opere usitata lectorem introducit in systema in hoc tractatu observatum. Historiae j. c. enim succumbit munus evolutionem j. c. proponendi et scientifice in eandem penetrandi. Unde haec scientia sese occupat cum fontibus essendi et cognoscendi j. c. necnon cum historica doctrinae evolutione. Quare auctores communiter dividunt historiam j. c. in *internam* seu in historiam Institutionem et *externam* seu historiam Fontium essendi et in historiam scientiae canonisticae. P. principalem attentionem attribuit historiae internae tum ex ratione practica respiciente studium juris in Universitatibus Austriae tum ex ratione scientifica resultante ex neglecta hucusque historia scientiae canonisticae. Maior in tractanda materia conceditur juri sacramentali in sensu sat lato et solvenda suscipiuntur problemata cum doctrina sacramentali cohaerentia. Canonistis haud concordibus in assignandis historiae j. c. periodis P. sequentes periodos elegit: prima currit a prima Pentecoste usque ad a. 324; secunda ab a. 325 usque ad Trullanum secundum (692); tertia terminum attingit a. 1054; quarta limitatur ad Occidentem, cuius fides catholica *universalis* destruitur per sic dictam Reformationem; quinta tandem specialem characterem recipit per legislationem Tridentiam eiusdemque uberiorem evolutionem (1917). Consequenter ad hanc divisionem materia distribuitur in tria volumina; primum continet tres libros correspondentes tribus primis periodis; secundum seu liber quartus evolvit ius canonicum occidentale, tertium tandem seu liber quintus exhibet ius, quod nominat P. ius catholicum. Post hunc conspectum allegatur Litteratura sub sextuplici respectu, sed limitatur ad opera principalia.

Primum caput exhibet brevem, sed splendidum conspectum historicum a fundatione Ecclesiae usque ad Edictum Mediolanense. In secundo capite evolvitur relatio Ecclesiae ad institutum juris. Ecclesia visibilis prae se fert in Imperio Romano characterem corporationis, cui postea accessit conceptus instituti; unde sub conceptu Ecclesiae non solum venerunt ipsi christifideles, sed etiam ipsa Instituta communitatis, prout praedia, domus etc. Tangitur insuper quaestio, sub quo titulo iuridico christiani vitam degerint, utrum sub titulo collegiorum illicitorum aut collegii tenuiorum sive funeraticii. P. asserit iam ante Constantinum Imperatorem christianos gavisos fuisse capacitate possidendi iuridica. Caput tertium disserit de initiis et de subsequenti evo-

lutione Constitutionis ecclesiasticae; primo est sermo de antiquissimis formis huius constitutionis tum Hierosolymis tum in terris Missionum; proponitur insuper relatio charismatum ad regimen ordinarium communitatis ecclesiasticae; post haec in par. 2 auctor loquitur de Hierarchia et de potestate iurisdictionis sub hoc respectu: apostolatus et primatus, episcopatus ruralis, initia formae territorialis; tandem synodi ecclesiasticae; in par. 3 allegatur communio uti vinculum unionis. Pauca commemorasse sufficiat. Notanda sunt argumenta in favorem Primatus S. Petri; insuper dicta de episcopis et chorepiscopis. Loquendo de formatione territoriali P. censet: desunt argumenta asserentibus iam ante Concilium Nicaenum constitutionem territorialem Imperii Romani, imprimis illam Diocletiani fundamentum fuisse pro constitutione territoriali ecclesiastica. Loquendo de Conciliis ecclesiasticis P. censet opinionem quorumdam institutionem Conciliorum esse divini iuris non esse probandam ex S. Scriptura et Traditione. Tertullianus est primus, qui unionibus Episcopum deliberativis dedit nomen « concilia ». Dionysius Alexandrinus est primus, qui utitur voce « synodus ». Ex fontibus celebratio synodorum iam saec. secundo demonstrata habetur; quae synodi pro evolutione iuris canonici fuerunt amplissimi et decisivi momenti. Profunde scribit de « communione » sub ratione sacramentali et sub vinculo iuridico. In capite quarto invenies expositum ius de personis sub sequenti respectu: primo est sermo de clericis et laicis; deinde de statu clericali; considerantur haec elementa: receptio in statum clericalem et ipsa ordinatio; deinde fit sermo de presbyteris, diaconis, de clericis minorum ordinum, de diaconissis, de coelibatu. P. refutat opionionem eorum, qui negant distinctionem inter clericos et laicos esse iuris divini, et explicat iuste terminos: « ordo clericalis » in oppositione ad « statum » laicorum; « ordinatio »; qui terminus prima vice usitatus fuit a Tertulliano. Post luculentam propositionem evolutionis Ordinum maiorum et minorum, status Diaconissarum P. breviter tangit Coelibatum asserendo prima periodo nondum indubiam legem de coelibatu clericorum extitisse. In par. 3 fit sermo de electione mediante clero et populo et de institutione ad officia ecclesiastica. In capite quinto exponitur ius sacramentale et ius Sacramentalium. Iuste notat P. usque ad saec. 12 conceptum vocis « sacramentum » nondum absolute determinatum fuisse, quamvis de septem sacramentis Ecclesiae constabat. Auctor intrat in controversias existentes circa baptismum collatum a mulieribus aut haereticis, circa ministrum Confirmationis, explicatque bene mysterium Eucharistiae, praxim poenitentiae, diversasque poenitentium classes. Animadversione dignum est dictum Originis: excommunicatio contrahitur *ipso facto* delicti commissi, quin requiratur sententia Episcopi; habemus in hoc dicto praeludium excommunicationis latae sententiae. In tractatu de s. ordinatione invenies normas de ministris s. ordinationis, de impedimentis et interstitiis ordinationis, de temporibus, de titulo, de reordinatione. Prima periodus nondum maturaverat perfectum ius matrimoniale; Ecclesia supplevit leges divinas et apostolicas, observavit ius Ro-

manum, inquantum rei christianae non contrarium, inculcavit celebrationem matrimonii in forma canonica et eiusdem indissolubilitatem, statuit impedimenta matrimonialia. Ne recensio nimiam assumat extensionem, connumerasse sufficit tria capita sequentia: sc. ius processuale et poenale, ius occonomiae, antiquissimos j. c. fontes, etsi in his tribus capitibus copiosa et notabilis materia contenta sit.

Liber secundus tractat in tredecim capitibus tempus a Concilio Nicaeno (325) usque ad Trullanum (692). Pro P. haec periodus est provincia juris Romani et culturae Romanae. Caput primum exhibet conspectum splendidum circa evolutionem Ecclesiae et circa relationem Ecclesiae ad Statum. Secundum caput portat titulum: « Ecclesia et jus »; tertium agit de Primatu R. P.; quartum de Conciliis. Utinam recensio sineret materiam clare evolutam profundius proponere! Ex errore p. 134 Concilium Ephesinum — non iudicium, sed latrocinium — allegatur celebratum a. 1499; leges 449, p. 138 in textu graeco error habetur. In capite quinto proponitur Hierarchia et constitutio territorialis; notanda est specialis evolutio Ecclesiae in Hibernia et Scotia sub influxu nationali incolarum. Caput sextum disserit optime de regimine dioceseos; speciali mentione est digna administratio diocesana sede vacante per interventores seu intercessores, visitatores, commendatores. Scribiturne p. 161 sponte aut ex errore Praga pro Braga in Lusitania? P. 259 auctor scribit: Braga. In sequente capite evolvitur ius de personis, imprimis de clericis cum suis obligationibus, privilegiis; notabilis est quaestio de coelibatu; p. 167 citatur l. 42 par. 1. C. I. 3, ubi statuitur in par. 2, non 1: « itaque tales convenit sacerdotes (= episcopi) eligi et ordinari, qui neque liberos neque *nepotes* habent ». P. scribit: « der Kinder oder *Geschwisterkinder* hatte ». Pro mea sententia « nepos » in casu non est filius ex fratre, sed filius ex filio; unde germanice « Enkel »; cf. can. 232 par. 2 n. 2, « a cardinalatus dignitate arcentur, qui prolem etiam ex legitimo matrimonio suceptam vel *prolem ex ea* habent ». Qua in periodo originem sumit Investitura clericorum in officia sua. De jure Religiosorum habetur optima dissertatio in capite octavo, in quo imprimis summum momentum Regulae S. Benedicti extollitur; notes ad p. 178 sq.: Cassianus scribit « de Institutione Coenobiorum », non « Coenobitarum »; p. 180 legas Hilpisch. P. censet cum aliis monasterium Bobbiense fuisse primum, quod recepit a. 623 ab Honorio I. exemptionem, et s. Benedictum primum fuisse, qui monachis pro negotiis monasterii decidendis concessit votum consultivum dandum a senioribus aut a tota communitate; quod votum ex consuetudine et ex lege scripta pro quibusdam casibus factum est decisivum. Si P. p. 185 oblatis Benedictinis opponit « conversos », hic terminus poterit falso intelligi; nam nostro tempore conversi sunt fratres laici (c. 539). Caput subsequens de Sacramentis lectorem introducit in quaestiones disputatas circa collationem baptismi et confirmationis per ministros haereticos et schismaticos, circa collationem confirmationis immediate post baptismum, circa obligationem audiendae missae, circa s. communionem et jejunium eucharisticum. Explicatur in-

fluxus Ecclesiae Hiberniae in disciplinam poenitentialem Continentis. Haud P. praeterit quaestiones circa s. ordinationem, tangendo dimissoriales, interstitia, impedimenta et titulos ordinationis. In materia matrimoniali illustrantur libertas in forma contrahendi, desponsatio significans tum sponsalia tum contractum matrimonialem, sensus contrahendi, in facie, in conspectu ecclesiae, tempus clausum, consensus parentum, diversa impedimenta matrimonialia, matrimonia mixta, de quibus S. Ambrosius interrogatus a novello Episcopo Vigilio, quid modo speciali in suo officio attendere debeat, haec verba protulit: pugnes ante omnia contra matrimonia mixta; tractatur insuper de dispensationibus, de convalidatione, de divortio, de morte praesumpta, de secundis et ulterioribus matrimoniis. Allegatur iudicium sat severum S. Gregorii Nazianzeni: « primum matrimonium lex, secundum indulgentia, tertium nefas. Quod autem supra est, porcinum est, quod ne multa habet huius iniquitatis exempla ». Commemorase sufficiat benedictiones et consecrationes, peregrinationes et aedificationem novarum ecclesiarum, coemeteria et dies jejuniorum. Caput decimum evolvit ius processuale et poenale Ecclesiae sub respectu ad ius Romanum et nationum linguae germanicae; haud praetermittitur ius asyli, privilegium fori, constitutio tribunalium ecclesiasticorum, excommunicatio, depositio, suspensio, interdictum. Bene temporalia Ecclesiae respiciuntur in capite undecimo. Qua in materia enucleantur diversae illae theoriae circa « ecclesias proprias »; ventilatur quaestio de reditibus Ecclesiae, de administratione et alienatione bonorum ecclesiasticorum. Fontes j. c. proponuntur in sequenti capite; primo allegantur fontes Ecclesiae Orientalis, deinde illi Ecclesiae Occidentalis; sc. Collectiones Italicae, Africanae, Gallicae, Hispanicae; tandem collectio « Sirmond ». Circa Dionysium Exiguum allegatur nova theoria Pritz-Ebers. Brevissimum caput est illud decimum tertium de initiis scientiae j. c.

Tertius liber sese occupat cum evolutione j. c. a Trullano II. (692) usque ad separationem Ecclesiae Orientalis ab Occidentali (1054). Luce clara caput primum illuminat conspectum materiae; delineatur decisivus influxus Trullani II. in Ecclesiam Orientalem, insinuatur tendentia huius Ecclesiae ad independentiam ab Occidente, respiciuntur elementa separationi favorabilia, v. g. Iconoclasmus, opus missionarium utriusque Ecclesiae, debilitas regiminis in Sede Apostolica usque ad fundationem Cluniacensem inspiratricem novae vitae in Occidente. Caput secundum disserit brevissime de statu iuridico Ecclesiae, necnon de communibus principiis iuridicis, v. g. de obedientia legibus Ecclesiae tribuenda, de promulgatione legum, de iure consuetudinario, de privilegiis. In capite tertio de Primatu R. P. illustrantur primo iura eiusdem, deinde normae de ipsius electione. Commemorasse sufficiet sic dictum « Constitutum Constantini Imperatoris, Donatio Constantini »; et coronationem Caroli Magni per Leonem III., et vim politicam huius eventus. Porro evolvuntur diversae phases in electione R. P. verificatae, constitutio Curiae Romanae, initia Cardinalatus; tanguntur diversae explicationes vocis « Cardinalis »; in par. 5 commemoratur

ius R. P. ad Legatos pontificios mittendos. Caput quartum proponit Concilia mere ecclesiastica et concilia mixta, dum sequens caput respicit hierarchiam ecclesiasticam sc. episcopos, metropolitas, patriarchas, primates; fit sermo de episcopo sine territorio et de episcopis auxiliaribus, de chorepiscopis eorumque impugnatione cum « inhonestis falsificationum armis ». Regimen dioecesanum tractatur in capite sexto, ubi est sermo de synodo dioecesana, de adiutoribus episcopi, uti sunt: archidiaconus, archipresbyter, decanus, oeconomus; porro sequitur tractatus de canonicis et de capitulis canonicorum, de parochis, de capellanis aulicis et de sacerdotibus nosocomio addictis, de visitatione dioecesana, de administratione dioeceseos extraordinaria per commendatores et visitatores. De iure personali tum clericorum tum laicorum agit caput septimum disserendo de lege coelibatus, de oboedientia, de abstinendis iis, quae statum clericalem dedecent. Notandum, quod vox « pompa » in can. 140 prima vice invenitur in c. 10 Concilii Maguntini (a. 813). Ulterius est sermo de institutione episcoporum, aliorumque clericorum. Ius religiosorum proponitur in capite octavo. Regula S. Benedicti alias Regulas eliminare coepit; auctor insuper loquitur de studio reformandi per Benedictum Anianensem, per Cluniacenses; de monialibus O. S. B., de Canonissis; porro tangitur relatio monasterii ad Ordinarium loci, et interna constitutio monasterii; de receptione in Ordinem. Non plene concordat cum Regula S. Benedicti (c. 58), quae P. p. 347 asserit: « praeter emissionem votorum essentiale elementum fuit renuntiatio rei familiaris *in favorem monasterii* ». S. Benedictus statuit: « res, si quas habet, aut eroget prius pauperibus *aut* facta solemniter donatione conferat monasterio ». P. commemorat etiam dimissionem ex Ordine, fugam et apostasiam et ius proprietatis. Caput nonum est reservatum juri sacramentali, de quo P. bene nos instruit, tangendo quaestiones disputatas in re sacramentali. Circa ius matrimoniale auctor notat: in hac periodo ius canonicum obtinet suum locum praevalenten. Nicolaus I. negavit contra Byzantinos pro validitate matrimonii benedictionis sacerdotalis necessitatem. Magnam difficultatem sensit Ecclesia in sustinenda indissolubilitate matrimonii; porro doctrina de impedimentis uberius evoluta est; P. tangit diversa impedimenta et extollit momentum Hincmari in illuminando impedimento impotentiae; distinguendo naturalem et *diabolicam* (= psychicam) impotentiam praecucurrit multa saecula. De potestate iudiciali Ecclesiae disserit caput decimum. In hac periodo potestas iudicalis tum civilis tum criminalis maiorem vim et ambitum sibi acquirit; P. speciali modo de iudicio synodali, germanice « Sendgericht » disserit, Processus illorum temporum fuit processus accusatorius; porro est sermo de modo probandi suam causam; unam ex mediis probandi fuit ordalicium; in eadem periodo fuit excultum ius poenale cum suis diversis poenis pro laicis et clericis. In sequenti capite exponitur ius circa bona ecclesiastica, imprimis circa rem beneficiariam, circa ecclesiam propriam, circa reditus, prout decimas aliaque vestigalia, circa administrationem bonorum ecclesiasticorum. Fontes Ecclesiae tum Orientalis tum Occiden-

talis allegantur in capite duodecimo. Speciali mentione est digna collectio pseudoisidoriana, cuius originem ponit inter a. 847-852; P. iuste loquitur de formali et materiali influxu huius collectionis; iam Petrus Comestor († 1178) et Stephanus Tornacensis († 1203) dubitarunt de genuitate. Quorumdam auctorum conatus propugnandi authenticitatem non poterit sustineri. Tandem ultimum caput disserit de scientia juris canonici; sermo fit de glossis ad fontes et de quandoque mira interpretatione textuum, de receptione iuris Romani.

Textum sequuntur sigla pro indice personarum et locorum, Conciliorum; porro index rerum, personarum, locorum, citatarum Synodorum et Conciliorum; tandem index chronologicus Romanorum Pontificum a S. Petro usque ad Leonem IX (1054).

Volumen primum meretur plenissimam laudem ratione clarae propositionis, qua gaudet materia exposita, ratione sensus catholici, qui perfundit opus, ratione novissimae litteraturae, ratione sani iudicii et iustae aequitatis.

D. G. Oesterle

P. Hyacinthus M. Hering O. P., *De fecundatione artificiali*, Romae 1952.

Cl.mus P. Hering, Prof. theologiae moralis in « Angelicum » de Urbe, de illo argumento agit, quod abhinc 60-70 annis attentionem sibi magis ac magis allicit multorum, tum ob multiplices aspectus, sub quibus argumentum considerari potest (medicale, familiare-sociale, iuridicum, morale), tum ob multiplices consequentias quas prae se fert: fecundatione artificiali tollitur ne impedimentum impotentiae? consummatur matrimonium? filii, sic nati, suntne legitimi? habetur adulterium si f. a. fieret cum semine non proprii viri? quaenam iura et obligationes inter virum (maritum) et filium suae uxoris? etc. etc. Hisce nostris temporibus tamen argumentum de f. a. actualissimum factum est, cum eius praxis in dies grassetur. Multorum proinde — medicorum, advocatorum, confessariorum et, in genere, omnium sacerdotum praesertim vero quibus cura imminet animarum — interest scire utrum f. a. sit illicita vel licita (sane aspectus moralis quaestionis, inter omnes, principalissimus est): quod faciendum optimo consilio suscepit cl.mus A. Cuius opusculum omnibus commendatur ob suas quibus nitet qualitates: brevitatem, claritatem et logicum rigorem. Qui opusculum legerit, Auctorem fortasse rigoristam habebit; fatendum tamen est omnes — si ultimam excipias, p. 52, iuxta nos — conclusiones logice descendere ex illis, quae A. posuit, principiis.

Hos satis esset; rem tamen gratam putamus nos facere legentibus, si fusius de hoc opuscolo tracteremus, eo vel magis quod argumentum revera quam maximi momenti est.

Opusculum in tre partes dividitur. In I (« De f. a. historice considerata ») cl.mus A. refert aliqua puncta statistica, animum cuiusque bene sentientis vehementer commoventia: in U. S. A. « plus quam 100.000 filiorum nati sunt per f. a., ex quibus circa 20.000 anno 1948. E semine

donatoris fere 85% nati sunt, et (res iam est in commercium deducta!) seminis pretium fluctuat inter 50 et 100 dollares. Numerantur circa 4.000 medicorum qui f. a. absque scrupulo peragunt » (p. 5). In Anglia « 6.000 filiorum circiter quolibet anno sic natos esse refertur » (p. 5), in Gallia circiter 1.000 (p. 6).

In II P. (« De f. a. physiologice considerata ») legentium attentionem meret praesertim c. III, n. I, in quo traditur notio f. a.; modus quo « semen viri in vaginam mulieris introducitur aliter quam per naturalem copulam », seu « inseminatio absque copula naturali » (p. 13), ex qua tradita notione deducitur f. a. stricte dictam haberi non solum quando semen per pollutionem vel copulam onanisticam procuretur, sed etiam quando alio modo v. g. per punctionem testiculi vel pollutionem involuntariam: « etenim essentiale elementum f. a. (ut fit ordinarie) non consistit in hoc quod semen mediante peccato contra naturam, pollutione vel copula onanistica, obtineatur, sed in hoc quod in vaginam modo artificiali i. e. *absque copula* naturali introducitur, quocumque modo procuretur » (p. 14). — Ad terminologiam quod attinet opportunum fuisse putamus adnotare expressionem « f. a. » esse sat impropriam: proprie enim f., physiologice considerata, est actio *naturalis* qua duo elementa, masculinum et femininum, zzosperma et ovulum, uniuntur et connectuntur, ad primam cellulam novi entis formandam. Omnis f., proprie loquendo, est igitur naturalis, et expressio « f. a. » impropria est; minus impropria est qua utuntur Galli « insémination artificielle » (artificium sane non consistit in fecundatione neque in inseminatione, sed in modo seu methodo applicationis). Expressio « spermaitesfora istrumentale » a Doct. J. Durando proposita, melior aliis videtur, sed fortunam non habuit.

P. III (« De f. a. moraliter considerata ») maioris est amplitudinis et momenti. Ad probandum f. a. ex semine mariti esse intrinsece et graviter malam, A. non reiicit quidem argumenta illorum AA. qui f. a. illicitam habent quia a) media ordinarie adhibita (pollutio vel copula onanistica) ad semen obtinendum sunt intrinsece mala, et b) fit in matrimonio ordinarie invalido ob impotentiam, — sed admittit, at notat ea « cum valorem absolutum pro omni f. a. non habeant, intrinsecam eius malitiam non perfecte demonstrant. Probant tantum illam esse illicitam etiam ratione medii vel ratione impotentiae, si medium est intrinsece malum vel si datur impotentia » (p. 33). Quaerens igitur rationem demonstrantem f. a. esse *intrinsece* et *graviter* malam, cl.mus A. eam invenit in eo quod in f. a. deest copula, quae est unicus modus licitus ad generationem prolis obtinendam; quod ultimum fuse probat ex natura et structura organorum genitalium, quae essentialiter ordinantur ad copulam, ex naturali inclinatione viri et mulieris ad coeundum, ex dignitate coniugum, qui ad generationem participant non ceu bruta animalia, sed propria personalitate ita ut filius sit fructus amoris et actionis personalis coniugum, ex bono prolis, postulante bonam educationem, tandem ex contractu matrimonii, in quo coniuges mutuo tradunt et acceptant ius ad actus per se aptos ad prolis gene-

rationem, non ad alios, qui essent extra obiectum contractus matrimonii. Consequitur ex dictis f. a. semper esse illicitam, quocumque modo semen obtineatur. Postea A. probat f. a. in matrimonio ex semine donatoris (i. e. non mariti) esse intrinsece et gravius quam alia illicitam, tum ob rationes dictas, tum ob rationes proprias: a) haberetur aduletrium saltem reductive; b) fit in detrimentum prolis, quae privatur recta educatione, ad quam ius habet, illegitima et adultera est, dubium potest habere de sua origine: hinc suspiciones, anxietates, dolores cordis, repercussiones psychologicae, etc.; c) vita familiaris pertubatur; d) viam parat ad uniones incestuosas.

Ad quaestionem inter AA. agitatam « an actu coniugali rite peracto, liceat semen in vagina depositum colligere in istrumento et in partes profundiores vaginae vel uteri proiicere, ut facilius fiat ascensus zoospermatum in uterum et sequatur fecundatio », A., contra plures alios qui, hanc praxim licitam habent vel absolute vel ea conditione ut semen e vagina non extrahatur, negative respondet; ageretur enim — dicit — de f. a. proprie dicta. Attamen haec ultima sententia cl.mi A. nobis nimis rigurosa videtur: verba Pii XII, ab ipso p. 51, nota 100 relata, optime putamus referri posse etiam ad praxim de qua est controversia, saltem ubi praxis fieret modo a De Smet, Merckelbach etc. explicato.

In fine opusculi sunt partes duarum allocutionum Pii XII, in quibus ex professo de f. a. fit sermo (pp. 59-61), et tandem bibliographia (pp. 63-65) fere completa (cfr. etiam: H. Abonneau, *Insémination artif.*, in D. de D. C., V, 1427-1435; J. Carles, *La Fécondation*, Paris 1949; T. Colignon, *Artific. Insemination*, in *Rev. de crininologie et de police technique*, a. V (1951), 243-259 et, qui nuper apparuit, J. Strahl, *L'insémination artif.*, in *Rev. de crim...*, a. VI (1952), 287-290) quam qui argumentum profundius perscrutare voluerit, utillimam certo inveniet.

P. E. Canzoneri O. P.

Sheehy, Robert F. — *The Sacred Congregation of the Sacraments; its competence in the Roman Curia.* The Catholic University Press, Washington, D. C. (U. S. A.), 1954. pp. 140. Two dollars.

Hoc opus dissertatio est historico-juridica. Scopus Auctoris est definire competentiam Sacrae Congregationis de Disciplina Sacramentorum et describere modum quo exercetur munus ei commissum.

Paucis abhinc diebus in atrio principali ipsius Congregationis collocata est statua Sancti Pii X, hac inscriptione ornata: « Sacra Congregatio de Sacramentis S. Pio X P. M., Fundatori Suo, D. D. ». Nam condita erat in hac magna reformatione totius Curiae Romanae a Papa Pio instituta. Quia ista Congregatio ante a. 1908 non existebat, tractatus historicus auctoris in primis consistit in conspectu et generali summario evolutionis totius organizationis curialis cum particulari emphasi in illis officiis, tribunalibus et congregationibus quae olim administrabant negotia quae nunc subsunt iurisdictioni Congregationis de

Sacramentis. Auctor contendit existere nexum arctum inter evolutionem Curiae Romanae et progressum exercendi potestates dispensandi papales. (pp. 1-22).

Altera pars de ipsa Congregatione tractat. Auctor disserit de ratione, necessitate et constitutione Congregationis necnon de normis generalibus gubernantibus Sacram Congregationem. (pp. 22-31).

Competentia Congregationis in duobus capitibus disponitur. In primo auctor ostendit quomodo competentia apparens Congregationis limitatur 1) ratione materiae, 2) ratione personarum, 3) ratione territorii subjecti, 4) ratione modi adhibiti (pp. 34-73). Quapropter negotia quae apparenter pertinent ad Congregationem de Sacramentis saepissime remittenda sunt ad Congregationes S. Officii, Concilii, de Religiosis, de Propaganda Fide, pro Ecclesia Orientali vel ad Tribunalia S. Rotae aut Sacrae Poenitentariae.

In capite maximi momenti huius operis auctor noster singillatim explicat omnia quae subsunt iurisdictioni Congregationis de Sacramentis, et quae in canone 249 plus minusve adumbrantur. (pp. 76-108).

Additur capitulum de natura potestatis et mensura auctoritatis Sacrae Congregationis. S. concludit ex Motu Proprio Benedicti XV « Cum iuris canonici », paulo ante publicationem Codicis Juris Canonici publicato, instructiones Sacrae Congregationis de Sacramentis per se et generatim non habere vim legis universalis, sed potius offere normas declarativas « cujus directio servanda est, potius quam urgenda eius litteralis obligatio ». (pp. 121-122).

Tandem, secundum auctorem Sacra Congregatio de Sacramentis non gaudet potestate coerciva omnibus obligante, nisi habet approbationem Summi Pontificis; sed admittit Congregationem habere potestatem affigere poenas ad decreta particularia necnon ad praecepta.

Auctor, citans ex Normis Peculiaribus, Cap. VII, Art. II, n. 4: « Ex tribus subsecretariis unus... », dicit: « Officiales majores Sacrae Congregationis de Sacramentis sunt secretarius et tres subsecretarii... ». At revera, etsi ab initio erant tres subsecretarii, nunc adsunt duo. Mox post constitutionem S. Congregationis tantum unus subsecretarius erat. Anno 1939 alius addebatur, ut curaret officium nuper creatum vigilantiae supra tribunalia diocesana.

E. J. P.

KUBIK, STANISLAUS — *Invalidity of Dispensations according to Canon 84. § 1.* The Catholic University Press, Washington, D. C. (U. S. A.), 1953, pp. 107.

Finis huius dissertationis ad praescriptiones Canonis 84, § 1 restringitur, qui memorat: « A lege ecclesiastica ne dispensetur sine justa et rationali causa, habita ratione gravitatis legis a qua dispensatur; alias dispensatio ab inferiore data illicita et invalida est ».

Opus incipit auctor, explicans aliquas notiones maximi momenti ad hoc studium, nempe 'dispensationem', 'jurisdictionem', 'inferiorem'.

Mentionem faciamus 'dispensationem' accipi in sensu stricto ac juridico, utpote relaxationem a lege in casu particulari; quapropter dispensatio 'super rato', a votis et a poenis vindicativis nullam considerationem formalem recipit. (p. viii) 'Inferior' est quivis agens dispensans, qui neque est legislator, neque eius successor, neque legislatoris superior; attamen facultatem habet concedendi dispensationem a legibus superioris ob facultates delegatas vel potestatem derivatam. (pp. 1-10).

Tractatus in duas partes divisus est; quarum prima est sectio historica, altera commentarium canonicum. Pars historica de auctore (subjecto activo) et de causis requisitis exclusive tractat. Considerari potest tamquam studium evolutionis jurisprudentiae de aspectibus juridicis cum Canone 84, § 1 connexis. Auctor demonstrat hanc evolutionem emersam esse cum acceptatione fere unanimi doctrinae, quae tenet auctoritatem inferiorem a legibus superioris valide dispensare non posse sine causa justa et rationabili.

In primis tribus saeculis dispensatores a legibus ecclesiasticis soli fuerunt Episcopi. Ad mentem Thomassini, cuius theoriam K. accipit, Episcopi tales potestates propter necessitates temporum assumpserunt et non, ut voluit Febronius, quia potestas episcopalis solvendi et ligandi etiam ad canones ecclesiasticos generales extendenda est.

Post persecutiones Summi Pontifices necnon Synodi provinciales potestates Episcoporum dispensandi limitare inceperunt. Etsi Episcopi potestatem papalem tamquam superiorem agnoverunt et a Pontificibus dispensationes frequentius ac frequentius petiverunt, nihilominus non pauci perstiterunt in usurpando potestatem concedendi dispensationes etiam in hac materia a Summo Pontifice vel Synodo expresse prohibita. (pp. 13-17).

Maiorem emphasim in auctoritate centrali stabilivit reformatio Gregoriana. Scriptores Summo Pontifici in genere attribuerunt ius concedendi dispensationes a lege generali Ecclesiae, sed non ius exclusivum. In praxi Pontifices seipsis certas dispensationes reservaverunt, et sic potestatem Episcoporum limitarunt. Denuo in hoc periodo, quod usque ad saeculum nonum extenditur, non omnes Episcopi admiserunt Papas habuisse potestatem exclusivam dispensandi a lege universali Ecclesiae. (pp. 20-22).

In suo Decreto Gratianus vindicat potestatem papalem, sed non asserit hoc esse jus exclusivum. Loquitur de dispensationibus episcopalibus, reservans tamen aliquas dispensationes Romano Pontifici. (pp. 26-27). A tempore Decretalium Gregorii IX (a. 1234) illi qui non erant legislatores, tamquam inferiores considerati sunt (pp. 30-31).

Ante Concilium Tridentinum sententia communis attribuit Episcopis potestatem dispensandi in casibus ubi dispensatio non explicite prohibita fuit a lege. Sed Abbas Panormitanus et postea Suarez contenderunt Episcopum dispensare posse solummodo in illis casibus ei permissis a lege, praeter casum necessitatis urgentis, quando periculum gravis damni esset in mora et difficilis esset recursus ad Sanctam Se-

dem. Reiffenstuel tenuit quod Episcopus dispensare potuit a lege generali Ecclesiae in casibus qui frequenter occurrerunt et minoris momenti fuerunt (pp. 45-46).

De causis quae ad dispensationem dandam requisitae sunt, auctor ostendit necessitatem communem tantum vel bonum Ecclesiae consideratam esse ut rationem sufficientem in primis novem saeculis pro relaxatione legis in casu particulari. Attamen, quando de facto dispensatio concedebatur sine tali causa nunquam mentionem faciebant scriptores de invalidatione.

Periodus a Gregorio ad Gratianum distinguitur ob notabilem confusionem circa causas quae existimatae sunt ut necessariae ad dispensationem concedendam. Plurimi scriptores causam necessitatis communis vel boni pro tota Ecclesia poposcuerunt, sed in praxi dispensationes datae sunt propter rationes privatas. Item, quandocumque orta est quaestio de validitate dispensationis, ratio fuit defectus jurisdictionis potius quam defectus causae requisitae (pp. 22-25).

Ante Rufinum (a. 1165) vocabulum 'dispensatio' etymologice potius quam iuridice adhibitum fuit. Ille dedit novam significationem, strictam et juridicam. Quapropter doctrina rectius efformata est circa dispensationes et rationes privatae admittendae sunt.

Decretalistae unanimiter consenserunt quod oportuit esse causam realem, sed dissenserunt de natura talis causae. Oportuit esse justa. Alii docuerunt causam certam requiri; alii rationabilem. Videtur Decretalistas primos esse ad tractandum effectum dispensationis si absit causa justa. Omnes admiserunt Pontificem Romanum valide dispensare posse, etiam sine justa causa; porro acceperunt hoc principium: dispensatio et illicita et invalida est quando ab inferiore conceditur sine causa justa. Raimundus a Pennaforte immo tenuit Episcopum, qui sine justa cause dispensat a lege generali, puniendum esse necnon depellendum. Scriptores huius periodi docuerunt dispensationem fuisse ipso iure invalidam quando obtinenda est per subreptionem vel obreptionem, sive dispensatio a Pontifice data est sive ab inferiori (pp. 29-34).

A tempore Decretalistarum communiter acceptum est quod inferior dispensare non potuit sive licite sive valide a lege superioris sine causa justa et rationabili. Aliqui scriptores post Tridentinum exegerunt investigationem actualem causae propositae (Sanchez). Haec videtur fuisse doctrina usque ad a. 1885, quando clausula 'si veritate niti reperis' mutata fuit in 'si vera sint exposita'. In illo tempore canonistae etiam formulaverunt distinctionem inter 'causam motivam' et 'causam impulsivam'. Reiffenstuel asseruit quod unanimis et certa doctrina tenuit dispensationem esse invalidam si causa finalis sit objective falsa (pp. 46-49).

Pars altera huius operis est commentarium canonicum, tractans primario de analysi qualitatis causarum quae requiruuntur ad dispensationem validam secundum canonem 84, § 1.

Auctor noster tenet quod 'causa rationabilis' addit emphasim conceptui 'causae justae'; memorat et declarat hoc factum, quod debet

existere proportio inter causam expositam et gravitatem legis. Porro haec proportio obtinenda est cum studio prudente atque diligente (pp. 66-67).

Dispensatio quae conceditur propter causam quae postea probatur ut objective non existens est invalida, nisi ut praescribitur a canonibus 1042 et 1054. Hinc auctor subscribit opinioni strictiori (p. 82).

Auctor admittere nequit voluntatem praesumptivam legislatoris validare posse dispensationem quae data est ob causas quae creditae sunt ut existentes, sed perperam (pp. 84-85); ad mentem eius dubia existentia causae juridice reduci non potest ad sufficientiam dubiam causae (pp. 87-88).

Denique, dubium de ipsa existentia causae non est dubium facti, uti tractatur in canone 15; nec canon 209 invocetur ad validandam dispensationem, quae aliter sit invalida ob objectivam nonexistentiam causae sufficientis (pp. 88-90).

E. J. P.

Eloy Montero Gutierrez, *El Nuevo Concordato Español*, Madrid, Vda. de Galo Saez, 1954, pp. 207.

Ex uberrimo calamo cl. Auctoris hoc novum opus profluit, in quo notabiliter auctus continetur discursus ab ipsomet pronuntiatus in solemni sessione inaugurali anni academici 1953-1954 in Regale Academia Jurisprudentiae et Legislationis, Matriti die 20 januarii habita, coram praeclarissimis viris Gubernium et scientias repraesentantibus, inter quos excellentissimi Praeses Consilii Regni, Ministri Educationis Nationalis, Justitiae et Haciendae, Praeses Tribunalis Supremi, Nuntius Apostolicus in Hispania, Archiepiscopus Sionensis... etc., constituens hoc volumen praedicti textus Concordati accuratissimum commentarium.

Post brevem conspectum theoriae separationis inter civilem et ecclesiasticam potestates, hodie jam superatae, atque juridicae naturae Concordatorum, necnon aliquarum notionum de rebus mixtis, succinte narrat historicam evolutionem regiminis concordatarii hispanici, et fusius ac peroptime triginta sex Concordati articulos et quinque declarationes Protocolli finalis pertractat. Unamquamque materiam praecedit accommodata exposito principiorum eadem rectorum, securo criterio et absoluta fidelitate ecclesiasticae doctrinae, non recedens — vere intrepidus — ante illas hispanicae legislationis dispositiones juri canonico minus conformes, quae reformandas existimat immo petit: Ita in pag. 130 circa requisita ad civilia matrimonia contraenda; in pag. 134 adhaerens opinioni a P. Regatillo in Rev. *Ecclesia* [1] sustentata, et antea a nobis propugnata [2] circa matrimonia absque monitione Judicis Mu-

---

[1] *El matrimonio canónico en el Registro del Estado,* Ecclesia, nº 642 (31 de octubre de 1953), pag. 37.

[2] Fernandez del Corral, *Validez jurídica de los matrimonios contraidos en la zona roja española,* Rev. Esp. Dcho. Canonico, VIII (1953) pag. 598.

nicipali peracta; in pag. 188 pertractans matrimonii minorum prohibitionem, itemque majorum, viduarum, tutorum ejusque descendentium, nisi cum specialibus condicionibus, et militum; porro in pags. 153 ad 160 in quibus de tragicis consectariis matrimoniorum civilium, sub imperio derogatae legis 28 junii 1932 contractorum, « *grave problema que el Estado debiera abordar* -- de judicio auctoris — *para tranquilizar la conciencia angustiada de muchos españoles católicos. ...acomentiendolo con valor y resolviendolo de una vez para siempre y sin dejar lugar a dudas ni vacilaciones* », et etiam de celebratis in « *zona roja* », qui multoties vera matrimonia constituunt, juxta can. 1098 contracta, si revera unus saltem ex contrahentibus catholicus erat et intentionem veri matrimonii celebrandi coram duobus testibus habebant, in quibus casibus verum atque perfecte validum sacramentum inierunt.

Digna tantae operae corona constituit ponderata recentis Concordati Hispanici diei 27 augusti 1953 critica, ex qua exaramus sequentia:

« *El Derecho público eclesiástico está intensamente enmarcado en todas sus disposiciones, informando a todos y cada uno de sus artículos la savia del Catolicismo* ».

Julian Manuel Fernandez del Corral
Profesor A. de la Universidad de Madrid y Académico Correspondiente de la Real de Jurisprudencia y Legislación

Buontempo A. *Problemi di Diritto Ecclesiastico Maltese*. Roma 1954. Pag. XII-104.

Melitae, plusquam forsan in quocumque alio loco, civiles leges continuo mutationibus sunt obnoxiae, speciatim ob haud raras politicae dominationis rerum permutationes, quibus hic minimus inter gloriosissimos populos necessario et quasi naturaliter subiici cogitur. Unica tamen omnium civilium normarum uniformitas, quibus Insula regitur, permagnis difficultatibus non obstantibus, eius est, quam ab Apostolo Gentium accepit, catholica religio. Una tantummodo est lex, quae pro Melitis numquam mutatur: Ecclesiae, quam colunt, defensio. Id igitur subintellegi nemo non videt sub brevi historica eventuum expositione in prima parte voluminis, a cuius notionibus alienus esse non potest, qui judicare velit naturam, extensionem ac momentum omnium quae sub respectu juris processualis in secunda parte exponuntur.

Jus vigens apud Melitenses abhinc centum et quinquaginta annos, relicto Hierosolymitani Ordinis regimine (nn. 1-2), sponte atque libere anglica obtenta protectione post breve gallicae dominationis intervallum, conditionem politicam Insulae est secutum. Anglica autem protectio, statim in plenam Sovranitatem conversa, populi religionem novae conditioni minus favorabili subiecit. (nn. 3-5).

Ob tenacem vero ac religiosissimam populi indolem, necnon ob ipsum ius publicum externum anglicae civitatis, haud fuit impossibile, quod jus Insulae proprium, ad jus canonicum notabiliter inspiratum,

felicibus in conditionibus persisteret, non tamen absque rationabili influxu juris anglici, a cuius legislatore tandem aliquando tota lex penderet. (n. 6). Hic tamen anglici juris influxus non impedivit quominus jus melitense in codicem redigeretur. At, codificatione non obstante, jus civile melitens continuo, quamvis subtiliter, juri anglico subiectum est, cum Codex mutationibus sat frequentibus obnoxius maneat, idque per Ordinationes (vulgo « Ordinanze »), quae semper sub Gubernatoris adprobatione sunt promulgandae. (nn. 7-9).

Substantialiter quidem Codex juris civilis, qui tantum ab anno 1942 completus habetur, immutatus manebit. Et certe nunc illud, quod antea Civilium tribunalium jurisprudentia adlaboraverat, per jus scriptum huiusmodi Codicis irrevocabiliter, oppositionibus praehabitis non obstantibus, statutum est, scilicet: ad jus canonicum recurrendum esse pro casibus a lege statutis. Hanc ad jus canonicum remissionem auctor « *Legalizationem* » vocat, canonizationi legum civilium perfecte analogam; eiusque naturam, motiva atque extensionem fuse explicat. (nn. 10-13).

Quaecumque autem legis dispositio suam practicam applicationem habet a potestate judiciaria; ac proinde huiusmodi potestatis limites atque exercitium determinentur oportet. Prius autem Gubernii Imperialis Proclamatio anni 1828, dein vero ipse Codex procedurae civilis, qui est praecipuus inter fontes potestatis judiciariae, exclusivam competentiam in rebus non mere spiritualibus tribuit civilibus Insulae tribunalibus. (n. 14). Logicum igitur consequens habetur tribunalium ecclesiasticorum in quacumque temporali materia absoluta incompetentia, nulla habita ratione de materia mixta seu mixti fori. (nn. 15-21).

Juridica consectaria huiusmodi tribunalium ecclesiasticorum assertae incompetentiae enumerata sunt, affirmando quoque, legalizationem illarum canonicarum normarum, de quibus Ecclesia judicare posse negetur, ad absurdam quidem conclusionem necessario conducere. Haberetur enim potestas quaedam legislativa absque relativa potestate judiciaria in perfecta et independenti societate organica. (nn. 22-23). Ad hoc vero absurdum juridicum modo legitimo tollendum, aliqua consilia theorico-pratica studiosorum considerationi subiiciuntur. Optimum inter remedia principium canonis 1553 § 2, circa « *praeventionem* » in causis mixti fori, plane admittitur; quod tamen principium difficultatibus sive theoricis sive practicis non carere asseritur, praesertim si ratio consideretur determinandi distinctionem inter *causas mixtas* et *res mixtas* in ultima doctrinae applicatione ad causus concretos, ut ipsa experientia nos docet. (nn. 24-25).

Solutio huius problematis e conceptibus Utriusque Legis aut Juris Communis mediae aetatis non videtur commutanda. Historice enim alia ratione vivit hodierna hominum societas: Unio scilicet Christianitatis non est, proh dolor!, amplius possibilis. Ex hodiernis vero unionibus inter ipsas Civitates auctori visum est commutari posse conceptionem alicuius inter Ecclesiam et singulos Status perfectae et juridicae unionis. Quaedam utique uniones, utpote Statibus magis propriae, Eccle-

siae adaptari negantur. Exclusa igitur remanet quaevis foederationis forma, quocumque sensu accipiatur. Nec juridice admitti posse videtur unio administrativa, cum revera de bonis temporalibus agatur, quae ex justitia ad Ecclesiam exclusive pertinent ab eaque dependent. Unde unicum medium pro solutione problematis poni debere videtur in aliquod organum *commune* Ecclesiae et Statui, quod auctor dixit *Tribunal Commune*, seu mixtum judicibus ecclesiasticis et laicis, ad causas sub utraque Auctoritate definiendas. (nn. 26-28).

In *secunda parte* voluminis de jure processuali civili-canonico quoad certas saltem quaestiones ecclesiasticas scriptum est. Et imprimis praetermittendum non fuit de generalibus incongruentiis apud tribunalia Insulae civilia circa competentiae ambitum. (nn. 29-33). Juridica autem istorum tribunalium constitutio notabiliter diversa est a tribunalium ecclesiasticorum constitutione; et hoc aliquando difficultatem importat pro justa cognitione causarum ecclesiasticarum a judice laico. (nn. 34-35).

Inter ea autem, quae maioris momenti haenda sunt, ad jus processuale quod attinet, certissime primum tenet locum quaestio de processuali personarum capacitate. Problema omnino pertinet ad jus processuale comparatum, sensu quidem practico, non vero simpliciter ideali. Nam jus processuale civile aliquando per jus canonicum completur, ita nempe ut applicatio urtiusque juris fiat necessaria, in casu scilicet alicuius capacitatis processualis speciatim religiosorum. Unde a capacitate contractuali, prout habetur in jure canonico, quaedam omnino praesupponenda definiuntur. (nn. 36-40). Jus canonicum praeterea, plura habet circa personarum incapacitatem, ad quae jus civile remittit, (n. 41), praesertim quoad effectus professionis religiosae, sive simplicis (n. 42) sive sollemnis (n. 43), necnon quoad effectus solutionis votorum, quae sub respectu exclaustrationis (nn. 44-45) atque seacularizationis (nn. 46-47) distincte confertur. His quoque sedulo consideratis, de capacitate processuali actum est in genere prout habetur in jure processuali civili apud melitenses. (n. 48). Specifice tandem recolitur civilis jurisprudentia circa processualem religiosorum incapacitatem. (nn. 49-52).

Quasi eiusdem indolis ac praecedens, aliam sibi auctor proposuit quaestionem, de processualibus nempe repraesentationibus. (nn. 53-55). Huic autem quaestioni quasi consectarium specialia quaedam scripsit de Promotore Fiscali pro eius qualitate repraesentandi Auctoritatem Ecclesiasticam apud Tribunalia Civilia in judicibus contentiosis. (nn. 56-58).

Huic judicii elemento subiectivo, seu partium capacitati, elementum obiectivum, quod est ipsa actio judicialis, logice connectitur. Unde speciales quaedam quaestiones de actionibus traduntur, primo quidem in genere, collatis juribus canonico et civili melitensi. (nn. 59-60). Cum vero, actiones in Codice Civili cognosci vel deduci debeant ex normis latis circa libellum causae introductorium et, magis quidem, circa exceptiones, de quibus tamen in alio capitulo, normae circa hunc libel-

lum, ope jurisprudentiae completae, hic recoluntur, praesertim in causis beneficialibus de jurepatronatus, quae maiorem partem causarum ecclesiasticarum constituunt apud tribunalia Insulae civilia, (nn. 61-64). Actiones autem in tres apparenter arbitrarias categorias distinguuntur: (n. 65). Actiones mere legales (nn. 66-68); actiones interesse publici ubi lex praesertim amortizationis recolitur sicut in jure melitensium concipitur (nn. 69-73); et actiones interesse privati ubi de actionibus praesertim circa decimas actum est, distinctione habita inter actionem realem et personalem (nn. 74-75), in rem scriptam (n. 75) et hypothecariam (nn. 76-78). Judicium tandem inquiritur sub respectu formali, seu petitiorium et possesorium, speciatim in causis circa jus patronatus (nn. 79-82).

Ultimo breviter quaedam de exceptionibus traduntur, prius in genere, utrumque jus considerando (nn. 83-84). In specie, vero, exceptio recolitur quoad nullitatem actorum processualium necnon negotiorum juridicorum. Jam antea, in prima parte voluminis, possibilis dictus erat recursus ad viam Ecclesiae administrativam pro canonicis provisionibus etiam en materia non mere spirituali. Immo legitimum erat retentum, partibus sponte se sistere coram tribunali ecclesiastico per legem civilem incompetenti (nn. 19-21). Nunc autem de vi sententiae huiusmodi judicis ecclesiastici specifice agitur in casu spontaneae partium comparitionis, sub respectu processuali (nn. 85-88): et, praeterea, actum est de exceptione nullitatis contractus (n. 89), et quidem per incapacitatem contrahentium (n. 90), necnon de nullitate Rescripti (nn. 91-92). Breviter etiam auctor agit de exceptione incompetentiae, sive a partibus ex officio, coram tribunalibus civilibus proposita, relate ad judicium ecclesiasticum pertinentes (nn. 93-94). Exceptio autem incapacitatis personae actoris vel rei, tamquam praecipua ex agitatissimis quaestionibus de procedura civili in causis ecclesiatsicis, a jurisprudentia civilium tribunalium accipitur (nn. 95-96). Succincte tandem de praescriptionibus circa actiones piarum causarum normae speciales civiles memorantur (nn. 97-99).

Amplissimam atque intricatissimam materiam, jam nunc synthetice et sat clare ordinatam, A. fusius certe evolvet ad quaestiones profundius enucleandas.

* * *

Clément Mertens, S. I.: *Iniziazione alla Economia Sociale.* Marietti - Torino - 1954; - pp. 270; - L.: 650.

Titulus optime exprimit quid intenderit auctor. Nobis offert « epitomen » quamdam, ad erudiendos et efformandos, tum Assistentes Ecclesiasticos, tum « responsabiles » motus operariorum, syndicatuum, Actionis Catholicae operariorum, etc. Cuius lectio, immo et studium, valde utilis esset clericis omnibus, etiamsi non destinantur immediate ad actionem sic dictam socialem. Insuper optimus esset liber textus

in Seminariis vel Scolasticatibus in quibus aliqualis saltem adumbratur efformatio socialis, ad votum adimplendum SS. Pontificum.

Auctor voluit per prius se esse clarum, admissis etiam nonnullis simplicius dictis. Nitida est expositio, exactae definitiones, conlustrant exempla; amenae comparationes afferuntur.

Perplura sacrificare oportuit: doctrinas, de se intricatas, ad essentialia reducere; scholasticas disputationes vitare; in ipsis quaestionibus disputatis propriam opinionem imponere, ad mentem ejus scholae cui — iure quidem merito — pertinet auctor. « Brevis conspectus historicus doctrinarum » qui concludit opus, non potuit esse nisi brevissimus, ad ossa reducens absque carnibus unam alteramve scholam.

Denique, propositum ipsum et genus operis illi hanc formam imponebat, qua non est nec oeconomia pura, neque sociologia positiva, neque ethica socialis, sed diversis istis disciplinis adhibitis, nobis affert hanc « oeconomiam socialem » quam traditio consecravit inter auctores catholicos.

G. Jarlot. S. J.

DOCUMENTA

ALLOCUTIONES

I

E.mis PP. DD. Cardinalibus atque Exc.mis PP. DD. Sacrorum Antistitibus, qui Romae sollemni Canonizationi S. Pii Pp. X interfuerunt. *

Venerabiles Fratres,

« Si diligis... pasce ». Quidnam sit apostolici laboris ratio, fastigium virtutis, meritorum origo et fons, praeclare hoc docet divini Servatoris ad Petrum Apostolum adhibitum monitum, quo Eucharisticum Sacrificium in honorem unius aut plurimum Summorum Pontificum inchoatur. Vestigiis insistens Iesu Christi, Pontificis et Pastoris sempiterni, qui pro nobis magna docuit, mira fecit, dura sustinuit, Romanus Antistes Pius nomine decimus, quem Sanctorum fastis accensere valde gavisi sumus, ex ore Christi elapsum strenue implens praeceptum, pascendo dilexit et diligendo pavit. Dilexit Christum et pavit gregem Christi: ex supernis divitiis, quas benignissimus Redemptor intulit terris, haud parce hausit quae gregi liberaliter dedit: veritatis nempe alimonium, mysteria caelestia, divinae Eucharistiae sacrificii et sacramenti magnificentissimam gratiam, caritatis suavitatem, adsiduam consulendi curam, tutelae fortitudinem; totum se dedit et ea omnia quae ei largitus erat omnium bonorum Auctor et Dator.

Romam venistis, Venerabiles Fratres, sertum laetitiae Nostrae, ut, sollemnium celebritatum particeps, admirationis et honoris obsequium Nobiscum proferretis huic Romanae Urbis Antistiti, cuius vita inclita universam collustravit Ecclesiam, et gratiarum actiones persolveretis Deo, qui magno beneficiorum cumulo per hunc Pontificem quos ad aeternam adipiscendam salutem dirigit, paterna eos misericordia perfudit.

Et nunc, dum Nos inter vos medii, Fratres dilectissimi, tam frequentes ex omnibus orbis terrarum partibus advectos, laeto penitusque commoto animo adstamus, Nos inquimus, Iesu Christi Vicarius, « consenior », inter vos « seniores », quod memorandum et monendum Nobis occurrit, breviter ante omnia astringere volumus verbis ex ipsius primi Summi Pontificis ac Principis Apostolorum epistula, quam modo meminimus, depromptis: « Seniores, qui in vobis sunt, obsecro, consenior et testis Christi passionum, ... pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum, ... forma facti gregis ex animo » [1]. Idem haec sonant ac divinae vocis effatum, quod pastoralem industriam ad operosam incitat caritatem: « Si diligis, ... pasce! ».

At paucis ea enucleare volumus quae Beatissimi Petri verbis modo summatim innuimus.

* Habita die 31 Maii mensis a. 1954.

[1] Cfr. *1 Petr.* 5, 1-3.

Sollicitudo omnium Ecclesiarum quae Nobis incumbit, et vigilantia, qua pro supremo Nostri officii munere cotidie Nos urget, impellunt Nos, ut ob oculos Nostros ponamus et perpendamus quaedam ad mentis sententias, ad animi sensus, ad actionem vitae spectantia, in quae vestram quoque sollicitudinem et vigilantiam converti volumus, ut eam Nostrae iungatis, atque ita citius et efficacius gregi Christi provideatur. Agi enim videtur de cuiusdam contagionis spiritualis indiciis atque effectibus, qui pastoralem curam expetunt, ne invalescant grassarique incipiant, sed in tempore sanentur et quam primum tollantur.

Proposito Nostro consentaneum esse videtur vobis singillatim explanare ea quae triplici munere ac praerogativa ex divina institutione vobis, Apostolorum successoribus, sub auctoritate Romani Pontificis competunt [2], i. e. magisterium, sacerdotium, regimen. Attamen, cum hodie tempus non sufficiat, orationem Nostram nunc ad primam tantum rem contrahemus, ceteras ad aliam occasionem in posterum (si Deus dabit Nobis copiam) differentes.

Christus Dominus veritatem, quam e caelis attulit, Apostolis et per ipsos eorum successoribus concredidit; Apostolos, sicut ipse fuit missus a Patre [3], misit, ut docerent omnes gentes omnia quaecumque ipsi a Domino audierant [4]. Apostoli igitur iure divino sunt in Ecclesia statuti veri doctores seu magistri. Praeter Apostolorum autem legitimos successores, scilicet Romanum Pontificem pro universa Ecclesia, Episcopos vero pro fidelibus suis curis commissis [5], alii magistri iure divino in Ecclesia Christi non habentur; at tum ipsi, tum imprimis Supremus in Ecclesia Magister atque Christi in terris Vicarius, alios arcessere possunt suos in magistri munere operis socios consiliariosve, quibus facultatem (sive peculiariter sive ob collatum officium) [6] docendi delegent. Qui ad docendum ita vocantur, in Ecclesia proprie non nomine suo, neque titulo scientiae theologicae, magistros agunt, sed vi missionis quam a legitimo Magisterio receperunt, eorumque facultas manet semper huic subiecta neque umquam fit sui iuris, seu nulli potestati obnoxia. Episcopi vero, tali facultate data, numquam iure docendi privantur, neque eximuntur gravissimo officio providendi et invigilandi integritati atque securitati doctrinae, quam alii in auxilium assumpti proponunt. Ideo legitimum Ecclesiae Magisterium neminem ex iis, quibus missionem canonicam dedit, laedit vel offendit, si scire et pro certo habere cupit, quid ii, quos ad docendum miserit, in praelectionibus viva voce, quid in libris vel commentariis et ephemeridibus auditoribus tradendis, item quid in libris aliisve scriptis publici iuris factis, doceant atque defendant. Non habemus in animo iuris normas circa praeviam censuram librorum in hunc finem ad omnes has res extendere; siquidem tot alii modi et viae praesto sunt, quibus tuto percontanda notitia de docentium

---

[2] Cfr. can. 329.
[3] Io. 20. 21.
[4] Cfr. Matth. 28, 19-20.
[5] Cfr. can. 1326.
[6] Cfr. can. 1328.

doctrina acquiri potest. Neque haec legitimi Magisterii providentia et circumspectio quidquam habet diffidentiae vel suspicionis — (sicuti ne professio quidem fidei, quam a docentibus multisque aliis Ecclesia exigit) [7] —, e contrario, collata docendi facultas sapit fiduciam, bonam aestimationem, honorem exhibitum ei, cui eadem conceditur. Ipsa S. Sedes, si quando inquirit et scire vult, quid in aliquibus Seminariis, Collegiis, Athenaeis, studiorum Universitatibus, doceatur in rebus ad suam potestatem spectantibus, nulla alia causa ducitur, quam conscientia tum mandati Christi, tum obligationis, qua tenetur coram Deo de tutanda atque incorrupte et integre servanda sana doctrina. Praeterea haec exercenda vigilantia nititur etiam ad defendendum et urgendum vestrum ius et officium alendi gregem vobis concreditum genuino Christi verbo et veritate.

Non absque gravi ratione haec coram vobis, Venerabiles Fratres, monere voluimus. Etenim infeliciter accidit, quod quidam docentes parum quaerunt coniunctionem cum vivo Ecclesiae Magisterio, parumque mentem animumque convertunt ad communem eius doctrinam hoc vel illo modo clare propositam; simul autem nimium dant proprio ingenio, mentis habitui recentiorum, aliarum disciplinarum normis, quas unicas dicunt et habent tamquam veris doctrinae rationibus et praeceptis consentaneas. Sine dubio Ecclesia humanarum disciplinarum studium et progressum summopere amat et fovet, hominesque doctos, qui in studiorum cultu vitam suam consumunt, peculiari dilectione atque existimatione prosequitur. Attamen res de religione et moribus, veritates sensibilium ordinem omnino transcedentes, ad Ecclesiae officium auctoritatemque unice pertinent. In Nostris Litteris Encyclicis *Humani generis* illorum, quos supra memoravimus, ingenium seu spiritum descripsimus; itemque monuimus nonnullas ex inibi reprobatis a veritate aberrationibus prorsus originem habere ex neglecta coniunctione cum vivo Magisterio Ecclesiae. Eandem hanc cum mente et doctrina Ecclesiae necessariam coniunctionem gravisssimis verbis iterum iterumque extulit Sanctus Pius X in magni ponderis omnibusque vobis pernotis documentis. Idem repetiit eius in Summo Pontificatu Successor, Benedictus XV, qui postquam in primis suis Litteris Encyclicis [8] *Modernismi* a suo Decessore factam condemnationem sollemniter iteravit, huius systematis asseclae spiritum ac mentem ita designat: « Quo spiritu qui agitur, is quidquid sapiat vetustatem, fastidiose respuit, avide autem ubivis nova conquirit: in ratione loquendi de rebus divinis, in celebritate divini cultus, in catholicis institutis, in privata ipsa exercitatione pietatis » [9] Quod si nonnulli huius temporis docentes et professores omni conatu et nisu insistunt in novis afferendis et evolvendis, non autem in reptendo « id quod traditum » est: si solum hoc proponere volunt, hoc mente quiete pervolvant, quod Benedictus XV in memoratis Litteris Encyclicis iis considerandum profert: « Sanctam haberi volumus eam maiorum

[7] Cfr. can. 1406, n. 7 et 8.
[8] *Ad beatissimi Apostolorum Principis*, 1 Nov. 1914.
[9] *Acta Ap. Sedis*, vol. VI, 1914, pag. 578.

legem: *Nihil innovetur, nisi quod traditum est;* quae lex tametsi inviolate servanda est in rebus fidei, tamen ad eius normam dirigenda sunt etiam, quae mutationem pati possunt; quamquam in his ea quoque regula plerumque valet: *Non nova, sed noviter* »[10].

Ad laicos quod attinet, a legitimis Magistris in fidei defensione eosdem quoque adiutores et adiutrices vocari vel admitti in aperto est. Sufficit memorare Christianae doctrinae institutionem, in quam tot milia virorum mulierumque incumbunt, necnon alias ormas apostolatus laicorum. Quae omnia eximie laudanda sunt omnique conatu promoveri possunt et debent. At omnes hi laici sint et maneant oportet sub auctoritate, ductu atque vigilantia eorum, qui divina institutione magistri in Ecclesia Christi statuti sunt. Nullum est enim in Ecclesia, in rebus ad salutem animarum spectantibus, magisterium quod huic potestati ac vigilantiae subductum sit.

Recentibus vero temporibus hinc illinc enasci et passim propagari coepta est *theologia*, ut aiunt *laicalis* et peculiare *theologorum laicalium* coeptum est genus, qui sui iuris esse profitentur; habentur huius theologiae praelectiones, scripta typis edita, circuli, cathedrae, professores. Hi suum magisterium distinguunt et quodammodo opponunt Magisterio Ecclesiae publico; aliquoties, ut suum agendi modum probent, provocant ad docendi et interpretandi charismata, de quibus in Novo Testamento, praesertim in Epistulis Paulinis, non semel est sermo[11]; provocant ad historiam, quae inde ab initio religionis christianae usque ad hunc diem tot affert nomina laicorum, qui in bonum animarum Christi veritatem docuerunt scriptis et viva voce, verum ad hoc non vocati ab Episcopis, neque petita vel accepta sacri magisterii facultate, sed ducti interno suo impulsu ac studio apostolico. Verumtamen haec contra retinenda sunt: numquam nempe fuit neque est neque umquam erit in Ecclesia legitimum laicorum magisterium, quod a Deo auctoritati, ductui, vigilantiae sacri Magisterii fuerit subtractum: immo ipsa subiectionis negatio evincens exhibet argumentum et iudicium: laicos ita loquentes et agentes non duci Spiritu Dei et Christi. Praeterea nemo non videt, quantum sit in hac « theologia laicali » periculum perturbationis et erroris; periculum etiam, ne alios instruere incipiant homines plane inepti, immo dolosi quoque et fallaces, quos descripsit S. Paulus: « Erit tempus, cum... ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus, et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur »[12].

Absit a Nobis ut, hoc monendo, a sacra doctrina altius discenda et in vulgus efferenda avertamus eos, cuiuslibet ordinis et coetus, qui tam praeclaro studio commoventur.

Date autem vosmet, Venerabiles Fratres, sollertiorem in dies operam, ut, quemadmodum officii vestri aeque onus ac honor poscunt, su-

---

[10] *l. c.*

[11] e. gr. *Rom.* 12, 6-7; *1 Cor.* 12, 28-30.

[12] Cfr. *2 Tim.*, 4, 3-4.

pernae veritatis magis magisque indagando in celsa et profunda penetretis, et sedulo flammantibus eloquiis sanctissima religionis vera iis proferatis, qui nunc haud sine praegravium periculorum minis in cogitando et sentiendo fallaciae obruuntur caligine, ut salutariter poenitendo et recte diligendo redeant denique ad Deum, « a quo averti cadere; in quem converti resurgere; in quo manere, consistere... in quem redire reviviscere: in quo habitare, vivere est » [13].

Quod ut feliciter agatis, caelestia auxilia vobis invocamus atque, ut haec liberaliter affluant, vobis vestrisque gregibus Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

(*A.A.S.*, vol. 46, pag. 313-317).

« Magnificate Dominum mecum; et extollamus nomen eius simul » (*Ps.* 33, 4), quia novo ex superno munere Nostra cum implentur vota, feliciter evenit quod perquam grato vestro, Dilecti Filii Nostri et Venerabiles Fratres, hodie fruimur conspectu et amplissimum vestrum coram contuemur consessum. Ratio ipsa novi liturgici festi Deiparae Mariae caeli terraeque Reginae, quod nuper sollemniter ediximus, pias has Nostras adauget laetitias, propterea quod summopere decet filios promere gaudia, cum ipsi maternum videant adauctum honorem.

Quodsi Beatissima Virgo Maria omnium est Regina, praecipuo sane nomine et arctiore ratione vobis et consiliis inceptisque vestris praeest, quia singulari augustoque laudis titulo Apostolorum Regina vocari consuevit. Ipsa enim, cum sit mater pulchrae dilectionis et timoris et agnitionis et sanctae spei (cfr. *Eccli.* 24, 24), quid vehementius exoptat, quid potius contendit, quam ut verax veri Dei cultus altius usque in animos radices agat, ardentior usque flammescat caritas, castus Dei timor consilia regat, spes immortalium promissorum compos terrestre maestum soletur exsilium? Haec vero omnia opera et industria, qua Vos in apostolicum munus incumbitis, parantur hominibus ut sobrie, iuste, pie occasuram agentes vitam, sine occasu in caelis felicitatem consequantur. Sub ductu igitur et auspicio Mariae semper Virginis Matris Dominaeque nostrae nunc vobis de nonnullis rebus instituimus loqui, quae quidem haud defutura fiducia arbitramur vobis et labori, sollertiae pleno quo agrum Dei exercetis, utilia fore.

Ineunte mense Iunio huius anni ad Sacrorum Antistites, qui frequentes undique terrarum Romam venerant, reverentiae, pietatis, obsequii studia prolaturi Pio X Pontifici Maximo, cui Sanctorum Caelitum tunc a Nobis decreti sunt honores, orationem habuimus de magisterio, quod ex divina institutione et praerogativa ad Apostolorum successores sub auctoritate Romani Pontificis pertinet (cfr. *Acta Ap. Sedis*, 1954, n. 8, pag. 313-317). Nunc quasi inchoatum persequentibus sermonem, opportunitate data, de duobus ceteris muneribus, quae, primo arcte coniuncta, vos spectant vestrasque poscunt cogitationes et curas, de sacerdotio scilicet et de regimine, placet Nobis facere verba.

---

[13] *S. Aug. Soliloquiorum*, lib. I, cap. 1, n. 3 - Migne *P. L.*, t. 32, col. 870.

Mentem et animum iterum convertamus ad Sanctum Pium X, Summum Pontificem.

Ex eius vitae descriptione novimus, quid ei fuerit altare et Eucharisticum sacrificium, et quidem a die, quo summo Deo sacerdoti obtulit primitias, cum sacerdos novensilis commoto animo ad gradus altaris primum dixit « Introibo ad altare Dei », per totam eius vitam sacerdotalem; cum parochus fuit, cum factus est in Sacro Seminario moderator pietatis, cum consecratus fuit Episcopus, cum Patriarcha et Cardinalis nominatus, cum denique electus fuit Summus Pontifex. Ipsi altare et Eucharisticum sacrificium fuerunt caput ac veluti centrum eius pietatis, refugium et robur animi in laboribus et angustiis, fuerunt Fons lucis, Fortitudinis, assidui studii gloriam Dei et animorum salutem comparandi. Hic Pontifex, uti fuit et est exemplar Magistri, sic fuit et est exemplar *Sacerdotis*.

Sacerdotis munus proprium et praecipuum semper fuit et est « sacrificare », ita ut, ubi nulla sit proprie vereque dicenda potestas sacrificandi, nec inveniatur proprie vereque appellandum sacerdotium.

Hoc idem plane perfecteque cadit in sacerdotem Novae Legis. Cuius praecipua potestas et muneris functio est offerre unicum et celsissimum sacrificium Summi et Aeterni Sacerdotis Christi Domini, quod nempe divinus Redemptor cruento modo in cruce obtulit et incruento in Novissima Cena anticipavit, continenter iterari voluit, mandans Apostolis suit « Hoc facite in meam commemorationem » (*Luc.* 22, 19). Apostolos ergo, non omnes fideles, ipse Christus fecit et constituit sacerdotes, eisque dedit sacrificandi potestatem. De hoc excelso Novi Testamenti sacrificandi munere et actione docuit Concilium Tridentinum: « In divino hoc sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur et incruente immolatur, qui in ara crucis semel se ipsum cruente obtulit... Una enim eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa » (*Sessio* XXII, cap. 2 - *Denzinger* n. 940). Itaque sacerdos celebrans, personam Christi gerens, sacrificat, isque solus; non populus, non clerici, ne sacerdotes quidem, pie religioseque qui sacris operanti inserviunt; quamvis hi omnes in sacrificio activas quasdam partes habere possint et habeant. « Quod tamen christifideles Eucharisticum participant Sacrificium, non idcirco — ita in Nostris de sacra Liturgia Litteris Encyclicis, quae « Mediator Dei » inscribuntur, monuimus (*Acta Ap. Sedis*, vol. 39, 1947, pag. 553) — sacerdotali etiam potestate fruuntur ».

Quae hisce diximus, pernota quidem vobis, Venerabiles Fratres, esse scimus; nihilominus ea Nobis memoranda esse censuimus, cum quasi fundamentum et ratio sint eorum quae statim dicturi sumus. Non enim desunt, qui veram quandam sacrificandi potestatem in sacrificio Missae omnibus pie adstantibus, etiam laicis, vindicare non desistant. Contra hos veritatem ab errore, qualibet ambiguitate amota, secernamus oportet. Iam ante septem annos eisdem Encyclicis Litteris eorum reprobavimus errorem, qui declarare non dubitaverunt Christi

mandatum « Hoc facite in meam commemorationem », ad cunctam directo pertinere christifidelium Ecclesiam; atque exinde, deinceps tantum, hierarchicum consecutum esse sacerdotium. Quapropter populum autumant vera perfrui sacerdotali potestate, sacerdotem autem solummodo agere ex delegato a communitate munere. Quam ob rem Eucharisticum Sacrificium veri nominis « concelebrationem » existimant, ac reputant expedire potius, ut sacerdotes una cum populo adstantes « concelebrent », quam ut privatim Sacrificium offerant absente populo ». Eadem data occasione etiam in memoriam revocavimus, qua ratione sacerdos celebrans dici queat « populi vices agere »; propterea scilicet, « quia personam gerit Domini Nostri Iesu Christi, quatenus membrorum omnium Caput est, pro iisdemque semet ipsum offert; ideoque (sacerdotem) ad altare accedere ut ministrum Christi, Christo inferiorem, superiorem autem populo. Populum contra, quippe qui nulla ratione divini Redemptoris personam sustineat, neque conciliator sit inter se ipsum et Deum, nullo modo iure sacerdotali frui posse » (*Acta Ap. Sedis* 1947, pag. 553 et 554).

In hac re consideranda non agitur tantum de *fructu*, qui ex Eucharistici sacrificii celebratione vel auditione hauritur, metiendo, — sane fieri potest, ut quis maiorem fructum capiat ex Missa pie religioseque audita quam ex Missa leviter et neglegenter celebrata —, sed de statuenda *natura actus*, qui est in Missae auditione et celebratione, unde alii fructus sacrificii profluunt; fructus scilicet — ne de cultu divino adorationis et gratiarum actionis loquamur — placationis et impetrationis pro illis, pro quibus sacrificium offertur, etsi ipsi sacrificio non adsint; item fructus « pro fidelium vivorum peccatis, poenis, satisfactionibus et aliis necessitatibus, sed et pro defunctis in Christo, nondum ad plenum purgatis » (*Conc. Trid. Sess.* XXII cap. 2 — *Denzinger* n. 940). — Re ita perspecta, assertio quae his nostris temporibus non solum a laicis, sed interdum et a quibusdam theologis et sacerdotibus fit ab iisque spargitur, tamquam opinionis error reici debet, scilicet idem esse unius Missae celebrationem, cui centum sacerdotes religioso cum obsequio adstent, atque centum Missas a centum sacerdotibus celebratas. Non ita profecto. Quoad sacrificii Eucharistici oblationem tot sunt actiones Christi Summi Sacerdotis, quot sunt sacerdotes celebrantes, minime vero, quot sunt sacerdotes Missam episcopi aut sacri presbyteri celebrantis pie audientes; hi enim, cum sacro intersunt, nequaquam Christi sacrificantis personam sustinent et agunt, sed comparandi sunt christifidelibus laicis qui sacrificio adsunt.

Ceteroquin negari vel in dubium vocari non debet fideles quoddam habere « sacerdotium », neque hoc parvi aestimare vel deprimere licet. Princeps enim Apostolorum in prima sua Epistola, alloquens fideles, his utitur verbis: « Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis » (I *Petr.* 2, 9); et paulo ante ibidem asserit ad fideles pertinere « sacerdotium sanctum, offerre spiritales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum » (*l. c.*, 2, 5). At quaecumque est huius honorifici tituli et rei vera plenaque significatio, fir-

miter tenendum est, commune hoc omnium christifidelium, altum utique et arcanum, « sacerdotium » non gradu tantum, sed etiam essentia differre a sacerdotio proprie vereque dicto, quod positum est in potestate perpetrandi, cum persona Summi Sacerdotis Christi geratur, ipsius Christi sacrificium.

Gaudenti animo animadvertimus multis in dioecesibus exorta esse propria Liturgiae Instituta, constitutas esse sodalitates liturgicas, nominatos moderatores rei liturgicae provehendae, habitos conventus liturgicos dioecesanos et ex pluribus simul dioecesibus, habitos vel praeparatum iri Conventus ex omnibus nationibus. Perlibenter audivimus hic atque illic etiam ipsos Episcopos huiusmodi Conventibus interfuisse vel praesedisse. Hi coetus interdum propriam sequuntur regulam, ita scilicet, ut unus tantum sacrum peragat, alii vero (sive omnes sive plurimi) huic uni sacro intersint in eoque sacram synaxim e manu celebrantis sumant. Quod si hoc ex iusta et rationabili causa fiat, neque Episcopus ad fidelium admirationem vitandam aliud statuerit, obnitendum non est, dummodo huic modo agendi ne subsit error iam supra a Nobis memoratus. Quod dein ad res in Congressionibus illis pertractatos attinet, disceptum est de propositis ad historiam, doctrinam vel actionem vitae pertinentibus; illatae sunt conclusiones atque vota concepta, quae ampliori huiusmodi progressioni necessaria vel convenientia visa sunt, legitimae tamen auctoritatis ecclesiasticae iudicio subiciendа. Haec vero ad sacram excolendam Liturgiam impulsio non constitit intra Conventuum celebrationes; sed simul exercitatio et usus continenter increscebant et augebantur, ita ut fideles maiore usque frequentia et numero ad activam coniunctionem et communionem cum sacerdote, qui sacris operatur, compellantur.

At, Venerabiles Fratres, quantumcumque favetis — et quidem iusto iure — usui atque profectui sacrae Liturgiae, ne siveritis huius disciplinae studiosos in vestris dioecesibus ductui et vigilantiae vestrae sese subtrahere, et proprio iudicio sacram Liturgiam temperare et immutare, contra Ecclesiae normas dilucidis verbis statutas: « Unius Apostolicae Sedis est tum sacram ordinare liturgiam, tum liturgicos approbare libros » (*can. 1257*), et praesertim quoad sacrum peragendum: « Reprobata quavis contraria consuetudine, sacerdos celebrans accurate ac devote servet rubricas suorum ritualium librorum, caveatque ne alias caeremonias aut preces proprio arbitrio adiungat » (*can. 818*). Neque vosmet ipsi huiusmodi inceptis et magis audacibus quam prudentibus impulsibus vestram concesseritis approbationem vel facultatem.

« Forma facti gregis » (*τύποι γινόμενοι τοῦ ποιμνίου*) (*1 Petr.* 5, 3): haec Beati Petri verba praecipue ad Episcopum spectant, utpote qui *Pastoris* munus habeat et gerat. Peculiaris et propria nota Pontificatus Pii X revera est ratio mosque « Pastoris ». Brevi, postquam is ad apostolici muneris fastigium ascendit, omnibus innotuit ad Apostolorum Principis cathedram evectum esse sacerdotem, qui in animorum curatione adoleverat, qui ab initio sacerdotii sui fuerat et esse perstiterat animorum pastor, usque dum universo gregi Christi pascendo fuit prae-

positus. Immutabilis norma, quam in agendo habuit, summa vitae, quam sibi contituit, fuit « salus animorum ». Si cupivit « omnia instaurare in Cristo », hoc ipsum propter salutem animorum voluit; huic fini et muneri quodammodo cetera omnia sua subiecit. Ipse in medio grege suo fuit bonus pastor, de eius necessitatibus sollicitus, de periculis ei imminentibus anxius; totus in eo, ut gregem Christi in via Christi duceret et dirigeret.

At Nobis, dum ad vos, Venerabiles Fratres, gregum vestrorum pastores, nunc verba facimus, in animo non est hic eximiam Sancti Pontificis atque Pastoris imaginem et speciem perfectam iterum depingere; memorare potius volumus — quemadmodum iam egimus ad Episcoporum magisterium et sacerdotium quod attinet — nonnulla, quae singulariter hisce nostris temporibus sacri pastoris exigunt nutum, vocem, operam.

Et primo sane nunc animadvertuntur habitus mentis et propensiones, quae *potestatem Episcoporum* — (Romano Pontifice haud excepto) —, prout ipsi pastores sunt gregis sibi concrediti, cohibere et circumscribere praesumunt. Eorum auctoritatem, curam et vigilantiam intra certos fines coarctant, qui spectant res stricte religiosas, veritates fidei nuntiandas, pietatis exercitationes moderandas, Ecclesiae sacramenta administranda et liturgicorum munerum functiones peragendas. Arcere autem volunt Ecclesiam ab omnibus inceptis et negotiis, quae veram, ut agitur, vitam, « la realtà della vita », quemadmodum ipsi aiunt, attingunt, cum haec posita sint extra eorum facultatem. Breviter, hic cogitandi habitus in publicis sermonibus nonnullorum laicorum catholicorum, etiam qui celso munere funguntur, interdum significatur, cum dicunt: « Episcopos et sacerdotes, libenter videmus, audimus, adimus in Templis, in iurisdictionibus eorum; at in foris publicis et in publicis aedibus, in quibus res huius vitae et terrae aguntur et decernuntur, eos videre et eorum vocem audire nolumus. Inibi enim nos laici, — nequaquam autem clerici, cuiusvis dignitatis et gradus — sumus legitimi iudices ».

Contra ergo huiusmodi errores aperte firmiterque tenendum est: Ecclesiae potestas nequaquam « rerum stricte religiosarum », uti loqui solent, finibus continetur, sed tota quoque legis naturalis materia, institutio, interpretatio, applicatio, quatenus moralis earum ratio attenditur, in eius sunt potestate. Observatio enim legis naturae ex Dei ordinatione spectat ad viam, qua homo ad finem suum supra naturam tendere debet. Iam vero Ecclesia est hac in via, ad finem quod attinet supra naturam, hominum dux et custos. Hunc modum agendi iam Apostoli, et postea, inde a primis temporibus, Ecclesia semper tenuit et etiam hodie tenet, et quidem non instar ducis et consiliarii privati, sed ex mandato et auctoritate Domini. Quare, cum agitur de praescriptis sententiis, quas legitimi Pastores (scilicet Romanus Pontifex pro universa Ecclesia, Episcopi vero pro fidelibus suis curis commissis) in rebus legis naturae edunt, fideles non debent provocare ad effatum, (quod in sententiis privatorum adhiberi solet): « tantum valet aucto-

ritas, quantum valent rationes ». Hinc, etsi cui argumentis allatis ordinatio quaedam Ecclesiae non evinci videtur, tamen, permanet obligatio oboedientiae. Haec fuit mens, haec sunt verba Sancti Pii X in in eius Epistola Encyclica « *Singulari quadam* » diei 24 Septembris 1912 (*Acta Ap. Sedis* vol. 4, 1912, pag. 658): « Quidquid homo christianus agat, etiam in ordine rerum terrenarum, non ei licere bona negligere quae sunt supra naturam, immo oportere, ad summum bonum, tamquam ad ultimum finem, ex christianae sapientiae praescriptis, omnia dirigat: omnes autem actiones eius, quatenus bonae aut malae sunt in genere morum, id est cum iure naturali et divino congruunt aut discrepant, iudicio et iurisdictioni Ecclesiae subesse ». Et statim communem hanc regulam in materiam socialem transfert: « Causam socialem controversiasque ei causae subiectas... non mere oeconomicae esse naturae, proptereaque eiusmodi, quae componi, posthabita Ecclesiae autoritate, possint, quum contra verissimum sit eam (quaestionem socialem) moralem in primis et religiosam esse, ob eamque rem ex lege morum potissimum et religionis iudicio dirimendam » (*l. c.* pag. 658-59).

Et in re sociali non una tantum, sed plures etiam eaeque gravissimae sunt quaestiones, sive mere sociales, sive sociales-politicae, quae ordinem ethicum, conscientias, salutem animorum spectant, ideoque minime dici possunt versari extra auctoritatem curamque Ecclesiae. Quin immo, etiam extra ordinem socialem occurrunt quaestiones, non stricte « religiosae », de rebus politicis sive ad singulas sive ad omnes nationes pertinentibus, quae ordinem ethicum attingunt, conscientias gravant, adeptionem finis ultimi haud levi periculo exponere possunt et persaepe exponunt. Ita quaestio de fine ac terminis potestatis civilis; de rationibus inter singulos homines et societatem; de « Statibus totalitariis », quos vocant, ex quovis principio ortis et deductis; de « totali laicisatione Status », uti dicitur, et vitae publicae; de plane efficienda scholae « laicisatione »; de natura ethica belli, de lagitimo vel non legitimo bello, quale nostris temporibus geritur, et de viri religiosae conscientiae in eo adiutrici opera permittenda vel deneganda; de vinculis et rationibus ethicis, quibus Nationes mutue reguntur et tenentur.

Veritati rerum, quin etiam ipsi rectae rationi contradicit qui asserit haec, quae memoravimus, aliaque permulta eiusdem generis esse extra ordinem ethicum, ideoque esse, vel saltem esse posse extra potestatem Auctoritatis a Deo statutae, ut provideat iusto ordini, ut ducat et dirigat conscientias et actiones hominum recta via ad eorum finem ultimum; non sane « in abscondito » solum, intra parietes Templi et sacrarii, sed etiam, et multo magis, palam, nuntians « super tecta » (ut verbis Domini utamur; cfr. *Matth.* 10, 27), in ipsa acie, in media pugna saeviente inter veritatem et errorem, inter virtutem et vitium, inter « mundum » et regnum Dei, inter principem huius mundi et mundi Salvatorem Christum.

Restat ut pauca quaedam addamus de *disciplina ecclesiastica.* Sciant oportet clerici et laici idoneam et legitimam esse Ecclesiam, et

idoneos et legitimos esse pro fidelibus quemque sibi commissis intra communes iuris fines Ordinarios locorum ad disciplinam ecclesiasticam stabiliendam et urgendam, idest ad statuendum externum agendi et sese gerendi modum in iis quae externum ordinem spectant, neque vero sive ex natura rei sive ex institutione immediate divina originem habent et constituta sunt. Fas non est clericis aut laicis huic disciplinae se subducere, sed omnibus curae esse debet, ut disciplina ecclesiastica sincere servata Pastoris actio fiat facilior atque efficacior, coniunctio inter gregem et pastorem firmetur, in eodem grege sit pacificum consortium atque concors opera, alter alteri sit exemplo et adiutorio.

At, quae modo locuti sumus de Episcoporum iure, utpote pastorum ovium gregis sibi cuique commissi, in omnibus, quae tum ad religionem tum ad leges morum et ad ecclesiasticam disciplinam pertinent, subsunt cuidam censurae, quae saepe latenter et surde obmurmurat, nec debitum sibi firmum animorum assensum obtinent, idcirco etiam quod discriminis plenam perturbationem adducunt alii hodierni temporis elatiores spiritus, quorum indicia hic plus illic minus patefiunt. Conscientia adeptae maioris personarum aetatis, quae magis in dies asseritur, efficit, ut nescimus quo aestu animi magis magisque agitentur et effervescant. Haud pauci huius aetatis, sive viri sive mulieres, Ecclesiae ductum et vigilantiam indignam putant gerendi se more, qui adultam addecet aetatem; non solummodo id dictitant, sed etiam penitus in sensu habent. Nolunt enim instar impuberum « sub tutoribus et actoribus » esse (*Gal.* 4, 2); volunt existimari et tractari ut adulti, qui sui iuris sint et ipsi sibi statuant quid faciendum quidve omittendum quibuslibet in adiunctis rerum. Proponat Ecclesia — ita illi loqui non dubitant — doctrinae suae dogmata, promulget leges, quae actioni nostrae praesint. Verumtamen, cum haec ad singulorum vitam referenda adhibendaque sunt, tunc illa abstineat neque ullo modo se immisceat; sinat suo quemque fidelem iudicio et conscientia se gerere. Idque asseverant eo magis ita fieri oportere, quod Ecclesiam eiusque administros plerumque latet certus definitusque status rerum, latent scilicet summatim sumpta rerum adiuncta, sive quae intima hominis sive quae extrinseca spectant, in quibus singuli positi sunt et in quibus consilium capere sibique prospicere debent. Praeterea nolunt hi omnes in supremo et intimo consilio voluntatis suae ullum inter se ac Deum habere interpositum interpretem vel intercessorem cuiuscumque dignitatis et nominis sit. De hisce reprehensione dignis opinationibus abhinc duos annos in Allocutionibus, diebus 23 mensis Martii et 18 mensis Aprilis anno 1952 habitis, verba fecimus et eorum argumenta examinavimus (*Discorsi e Radiomessaggi* vol. 14, 1952, pag. 19 et seq. — pag. 69 et seq.). De pondere et momento quod adeptae « maiori aetati personali » tribuitur, recte asseritur: iustum et aequum esse adultos non debere regi sicut pueros. Apostolus de se ipso dicit: « Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus. Quando autem factus sum vir, evacuavi quae erant parvuli » (*1 Cor.* 13, 11). Non est vera educandi ars, quae aliam sequatur rationem et viam, neque

est verus pastor animorum, qui alio intendat quam ut fideles sibi creditos provehat « in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christ » (*Eph.* 4, 13). Sed aliud omnino est adultum esse et evacuasse quae sunt parvuli; et aliud, esse adultum et ideo non obnoxium legitimae auctoritatis ductui et gubernationi. Gubernatio enim non est quasi quaedam tutela infantium, sed ductus efficax adultorum in finem civitatis.

At quoniam ad vos, Venerabiles Fratres, non ad fideles, loquimur: cum in vestro grege huiusmodi germina et indicia apparere et crescere incipiunt, fideles admonete: 1) Deum constituisse in Ecclesia pastores animorum, non ut onus imponant gregi, sed ut gregem promoveant et tueantur; 2) ductu et vigilantia pastorum in tuto poni fidelium veram libertatem; eos prohiberi a servitute errorum et vitiorum, firmari contra incitamenta ex pravis exemplis et ex consuetudine malorum hominum orientia, inter quos esse et vivere cogantur; 3) ideo eos agere contra prudentiam et caritatem sibi ipsis debitam, si hanc Dei quasi protensam manum et certissimum delatum auxilium recusent. Inter clericos autem et sacerdotes si quos inveneritis hoc falso studio ac more imbutos, opponite eis gravissima monita Decessoris Nostri Benedicti XV in hanc sententiam locuti: « Unum tamen est, quod praeteriri silentio non debet: quotquot enim sunt sacerdotes, omnes, uti filios Nobis penitus dilectos, volumus admonitos, quam plane opus sit, cum ad propriam ipsorum salutem, tum ad sacri ministerii fructum, eos quidem suo quemque Episcopo coniunctissimos esse, atque obsequentissimos. Profecto ab illa elatione animi et contumacia, quae horum est temporum, non omnes, ut supra deploravimus, vacant administri sacrorum; neque enim raro contigit Pastoribus Ecclesiae, ut dolorem et impugnationem inde inveniant, unde solatium et adiumentum iure exspectarint » (Litt. Encycl. « *Ad Beatissimi Apostolorum Principis* », die 1 Novembris 1914; *Acta Ap. Sedis*, vol. 6, 1914, pag. 579).

Hactenus quaedam diximus de materia curae pastoralis; quaedam de personis in quorum emolumentum cura pastoris destinatur; non aequum est sermoni Nostro finem facere, non conversis aliquantulum cogitationibus Nostris ad ipsos Pastores. Ad Nos et ad vos Pastores illa Aeterni Pastoris referenda sunt sanctissima dicta: « Ego sum pastor bonus Ego venit, ut vitam habeant, et abundantius habeant » (cr. *Io.* 10, 11-10). Ad Petrum autem Dominus dixit: « Si diligis me, pasce agnos meos, pasce oves meas » (cfr. *Io.* 21, 15, 17). His pastoribus bonis opponit mercenarium, qui se suaque quaerit nec paratus est vitam dare pro grege (cfr. *Io.* 10, 12-13); opponit Scribas et Pharisaeos, qui regnandi et dominandi cupidi, propriam gloriam quaerentes, cathedram Moysi occupabant, alligabantque onera gravia et importabilia, et imponebant in humeros hominum (cfr. *Matth.* 23, 1, 4). De iugo autem suo Dominus dixit: « Tollite iugum meum super vos! Iugum enim meum suave est, et onus meum leve » (cfr. *Matth.* 11, 29-30).

Ad officium pastorale fructuosum et efficax gerendum multum confert frequens ac mutua inter Episcopos communicatio. Ita in assequenda

experientia inque usu rerum alius alium perficit; redditur maior regiminis similitudo, vitatur christifidelium admiratio, qui saepe non intellegunt cur in alia dioecesi res hoc modo se habeant, in alia autem, quae fortasse proxima ei adiacet, dissimili modo, quin etiam interdum prorsus contrario. Ad haec autem consequenda plurimum possunt communes Coetus, qui fere ubique iam in usu sunt, et augustiore celebranda ritu Concilia provincialia et plenaria, quae in Codice iuris canonici constituta certisque legibus circumscripta sunt.

Ad hanc autem inter Fratres in Episcopatu coniunctionem et communicationem accedat oportet coniunctio et communicatio viva et frequens cum hac Apostolica Sede. Ex antiquissimis Christianitatis temporibus hic viget adeundi Sanctam Sedem usus, non tantum in rebus doctrinae fidei, sed etiam regiminis et disciplinae. Argumenta et exempla haud pauca exhibent antiqui historiae fontes. Romani autem Pontifices, sententiam rogati, non responderunt tamquam theologi privati, sed vi auctoritatis suae, sibi conscii potestatis, quam acceperunt a Christo Domino, regendi totum gregem et quamlibet eius partem. Idem eruitur ex factis et casibus, in quibus Romani Pontifices, non interrogati, controversias exortas diremerunt aut « dubia » ad suum iudicium advocaverunt. Haec ergo coniunctio et congruens rei communicatio cum Sancta Sede non oritur ex quodam studio omnia in unum cogendi et conformandi, sed ex iure divino et ex proprio ipsius Constitutionis Ecclesiae Christi elemento. Neque cedit hoc in detrimentum, sed in emolumentum Episcoporum, quibus greges peculiares regendi concrediti sunt. Ex communicatione enim cum Sede Apostolica assequentur in « dubiis » lumen et securitatem, in difficultatibus consilium et robur, in laboribus subeundis adiumentum, in angustiis ferendis levamen et solacium. Contra ex Episcoporum ad Apostolicam Sedem « relationibus » haec ampliorem assequetur de statu universi gregis notitiam, melius citiusque cognoscet quae pericula immineant, quae remedia ad mala sananda adhiberi possint.

Venerabiles Fratres, Christus, pridie quam pateretur, pro Apostolis oravit Patrem, simulque pro omnibus in munere eorum apostolico successoribus: « Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut et nos. Sicut Tu me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum... dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, et ego in ipsis » (*Io.* 17, 11.18.26).

Sic ergo Nos, consenior, Aeterni Pastoris in terris Vicarius, ad vos Fratres nostros, seniores (*1 Petr.* 5, 1), et gregum vestrorum pastores, locuti sumus iuxta sepulcra Apostolorum Principis et Sancti Pontificis Pii X, et in extremo sermone Nostro memoris animi cogitationes iterum convertimus ad Missam « Si diligis », a qua sermo initium habuit, in cuius « praefatione » precamur: « ut gregem tuum, Pastor aeterne, non deseras, sed per beatos Apostolos tuos continua protectione custodias. Ut iisdem rectoribus gubernetur, quos operis tui vicarios eidem contulisti praeesse pastores »; et in altera oratione post communionem addimus: « Multiplica, quaesumus, Domine, in Ecclesia tua

spiritum gratiae, quem dedisti, ut beati Pii Summi Pontificis deprecatione, nec pastori oboedientia gregis nec gregi desit cura pastoris! ».

Quod faxit vobis omnibus Deus secundum divinae suae largitatis mensuram!

(*Oss. Rom.* del 4-11-1954, n. 256)

II

Christifidelibus Delegatis e Congregationibus Marianis, Romae coadunatis ob Conventum ex universa earundem Foederatione indictum. *

C'est une grande joie pour Nous d'accueillir ce soir, dès leur arrivée, les milliers de Congréganistes de la Très Sainte Vierge réunis à Rome pour la première session de leur Fédération Mondiale. Que Marie Immaculée, dont l'Eglise fête aujourd'hui la Nativité bienheurese, vous soit propice, chers fils et filles du monde entier venus à ce Congrès; qu'elle bénisse votre union et augmente votre ferveur!

Nous voulons tout d'abord vous dire combien Notre cœur est sensible à l'hommage de vos prières et des dons qu'elles accompagnent, car Nous savons la foi et l'affection profonde qu'elles signifient. Vous avez voulu également, par une délicate attention, faire mémoire du 60e anniversaire de Notre propre consécration de Congréganiste, et de cela aussi Nous vous remercions.

En cette Année Mariale, vous voici au lieu même où le 8 décembre 1584, Notre prédécesseur de sainte mémoire, Pie IX, proclamait, au milieu de la joie universelle des chrétiens, la foi infaillible de l'Eglise catholique en la Conception Immaculée de la Vierge Marie, Mère de Dieu. Comment n'auriez-vous pas célébré de façon spéciale cet heureux centenaire, chers Congréganistes, qui vous êtes consacrés à la Très Sainte Vierge? Votre pèlerinage n'est pas simplement un acte de piété filiale, il manifeste encore votre volonté de progresser toujours davantage dans la ligne de la perfection chrétienne à laquelle vous aspirez; aussi attendez-vous de Notre part encouragements et directives pour mieux réaliser votre idéal de piété et d'apostolat.

Le Congrès qui s'ouvre aujourd'hui doit être en effet le point de départ d'une rénovation spirituelle de toutes les Congrégations du monde. Il a pour thème: « La plus grande gloire de Dieu par une plus grande sélection, une plus grande union avec la Hiérarchie, une plus grande collaboration avec les autres associations apostoliques ». Nous avons eu déjà l'occasion d'écrire au Directeur de votre Secrétariat central que ce programme Nous paraît excellent, car il renferme en peu de mots les principales indications que Nous avons formulées dans Notre Constitution Apostolique « *Bis saeculari* ». Ce document, auquel Nous avons donné une forme solennelle pour en souligner l'importance, expose les obligations et les prérogatives des Congrégations Mariales affi-

* Habita die 8 Septembris mensis a. 1954.

liées à la Prima Primaria du Collège Romain. Nous voulons qu'il demeure la charte des Congrégations, qu'il fixe à la fois leur régime intérieur et leur situation dans l'Eglise.

Aujourd'hui, Nous insisterons seulement sur les trois points du programme que Nous rappelions à l'instant: sélection, union à la Hiérarchie, coopération apostolique. Le premier d'entre eux est essentiel pour assurer la rénovation désirée. Les Congrégations ne sont pas de simples associations de piété, mais des écoles de perfection et d'apostolat. Elles s'adressent aux chrétiens qui, non contents de faire un peu plus que le nécessaire, sont décidés à répondre généreusement aux attraits de la grâce, à chercher et pratiquer selon leur état de vie toute la volonté divine. C'est pourquoi nul ne pourrait y être admis en vertu de quelque tradition, pour honorer la Congrégation ou recevoir d'elle estime et dignité. Seul entre en ligne de compte le désir d'une plus grande perfection, d'une vie chrétienne rayonnante de ferveur personnelle et apostolique. Que les conseillers appelés à donner leur avis et surtout le directeur, qui seul prend la responsabilité de l'admission, considèrent sérieusement ces points essentiels. L'aptitude du candidat se manifestera par sa fidélité aux réunions, par le goût de la prière, la pratique des sacrements de Pénitence et d'Eucharistie, en un mot par l'application à croître sans cesse dans l'amour de Dieu, fondement du zèle des âmes. Celui-ci en effet pour se maintenir et porter des fruits requiert une vertu surnaturelle. Or ni la foi, ni l'espérance, ni la charité ne procèdent d'un heureux caractère ou d'une activité spontanée: elles constituent des dons divins, qu'il faut demander humblement, constamment, et cultiver avec soin. Celui qui aspire à être un Congréganiste digne de ce nom engage nettement la lutte contre les tendances moins bonnes; résolu à se dégager entièrement de l'emprise du péché, il vise à l'imitation toujours plus fidèle de Jésus, le Fils de l'Homme doux et humble de cœur; il brûle comme lui d'accomplir les moindres désirs de son Père, de lui plaire en tout et malgré tout. Que cet idéal séduisant et austère soit en chacun de vous, chers fils et filles, le principe des plus éclatantes rénovations spirituelles, le soutien d'un effort silencieux et lent comme la vie, mais incoercible comme l'action de Dieu.

L'union à la Hiérarchie, signe visible de l'attachement sincère au Christ, sera aussi la pierre de touche de la pureté du zèle. Si Nous avons tenu à ranger les Congrégations Mariales, telles que les définit la Constitution « *Bis saeculari* », parmi les formes les plus authentiques de l'Action catholique, c'est qu'elles travaillent expressément à faire entrer leurs membres dans l'esprit de l'Eglise, « *sentire cum Ecclesia* ». Or, cette disposition est la seule qui convienne, lorsqu'on prétend collaborer à l'apostolat de la Hiérarchie. Responsable de la gloire de Dieu sur la terre, dépositaire des pouvoirs divins, la Hiérarchie assigne leur tâche à chacun des volontaires qui s'offrent pour continuer l'œuvre du Christ. Afin de lui prêter une aide efficace, il ne suffit pas de soumettre à son approbation toute institution existante ou toute initiative nouvelle; mais il importe d'entrer dans son esprit, de comprendre ses intentions, de

prévenir ses désirs: cela suppose humilité et obéissance, dévouement et abnégation, solides vertus que ne manque pas de développer la formation sérieuse des Congrégations. Animés d'une volonté de servir à tout prix, les Congréganistes ne cherchent jamais à faire bande à part ou à revendiquer pour eux seuls certains secteurs, mais ils sont prêts au contraire à travailler là où la Hiérarchie les envoie. Ils servent l'Eglise non comme une puissance étrangère ni même comme une famille humaine, mais comme l'Epouse du Christ inspirée et guidée par l'Esprit Saint lui-même, et dont les intérêts sont ceux de Jésus. L'Apôtre Saint Paul souffrait déjà de constater que certains — tous, disait-il dans son amertume — « tous recherchent leurs propres intérêts, non ceux de Jésus-Christ » [1]. Qu'un tel avertissement vous tienne en éveil! Oublieux de vous-mêmes, prompts à répudier toute étroitesse de vue, acceptez les consignes de l'Eglise, comme venant de votre divin Chef. Ainsi pourrez-vous dire avec l'Apôtre: « au jour du Christ... ma course et ma peine n'auront pas été vaines » [2].

